IOANNIS

BARCLAII POEMATVM LIBRI DVO.

Editio postrema aucta.

OXONII,
Excudebat G. TURNER, Impensis GUILIELMI WEBB.

cIↃ IↃC XXXVI.



195; 02

MAXIMO ET ILLVSTRISSIMO

Principi, CAROLO, *Principi Britanniarum*, &c.

JOANNES BARCLAIUS, felicitatem, victorias, triumphos. P.

NISI omnia deberem Serenissimo Regi, Inclyto tuo Patri, ac per hoc tuæ Celsitudini (Maxime Princeps) ego jam nuncupanda tibi potissimùm istius scriptionis, tutelaque deligendæ causas exponerem. Nunc cùm adeò vester sim, ut si quid in rem literariam contulero, id ipsum sit muneris vestri; superest ut hanc librum scribendi argumentum, tibi potius aut excusem, aut probem. Erunt enim durioris supercilij, qui haud decorum putent, post susceptæ graviora me ad hunc carminum ludum

deſcendere. Sed ſi omnia, & præſertim laborioſa, viciſſitudine melius durant, quid hoc nobis unis negaverit, ut ſeveris ſtudijs laſſi interdum in ſuavioribus Muſis acquieſcamus? Certè in Tragœdijs, inter fictas Regum curas, ſanguinemque, & facinora, interſeruntur cantus, & illic etiam fides atque plectra locum inveniunt. Sed neque hac excuſatione ſimpliciter utor. Malo credi etiam ſeriò in his ludicris eſſe verſatus. Quippe utiliſſimam Muſarum majeſtatem in vulgus contemptumque deduxere plerique, qui levitate ingenij, & ignoratione tanta artis, ad audaciam carminum provecti ſunt, inſaniamque duntaxat putavere ad Poëſim ſufficere poſſe. Tantam labem ars illa præcipua induſtriæ non eluet, niſi ab iis celebrata qui aliquid ultra ſcholas umbramq; viderunt; ut plenior ſucci ſit, reſq; ut geruntur, non ut plerunque ab inexpertis docentur, continens, eum colorem recuperet quem priſcis temporibus habuit, cùm mores in rectum efformaret, & virtutum precium eſſet perennitate famæ quam donabat. Igitur quanquã multùm ab eo acumine diverti, quod reſtituere natalibus ſuis poſſit hanc artem, tamen olim illius doctrinæ ſuavitate raptus in ſcholis, & multis deinde jam annis in Sereniſſimi tui Patris aulâ verſatus, operam meam proferre ſic volui; ut qui de verſibus rectè judicant (quod utinã

rarum

rarum est) animum meum probent, conatúmque persiciant; qui verò ex primis coloribus cuique rei pretium constituunt, sciant Poësim non adeò vilem aut puerilem esse, ut eam erubescant, qui in regijs, aut solidioribus studijs agunt. Cæterùm si & externus essem, & arbitrium huic libro suisset patroni adoptandi, quî te tamen præterisset, Excelsissime Princeps? cujus inclyta adolescentia, vultu ac moribus ad omnem suavitatem exacta, habet nescio quid commune cum Apolline, atque Musis, quas quotidiano commercio dignaris, & ut arbitror inutiles non putas, quandoquidem illæ sunt quæ Achillem & Heroas in æternitatem asserunt. Jam per Orbem omnium vox est, te à Maximo, & omnibus virtutibus cumulatissimo Rege, non in sceptra tantùm sua, sed in indolem, ingenium, mores, editum esse. Quis ejus juventutem meminit, qui tuos annos ac spiritus tanquam iteratam illius adolescentiam non adoret? id est, quis jam in Celsitudine tuâ aut desiderare aliquid possit, aut omnia à maturioribus tuis annis non expectet? Lenitas, simulq; vigor ingenij, & in oculis temperata bonitate majestas, & quicquid in regio animo vel adulatores fingunt, vel probi exoptant, adeò tua indolis, tuique impetus sunt, ut hoc unum possis optare, quantus es, tantum te esse credi: Ad eam rem nihil aptius Musis,

quæ tuas dotes non augebunt quidem apud posteros, sed integras & spirantes venientibus seculis ostendent. Interim dum illæ tanti operis Poëtam moliuntur, ego agrestes meos calamos sumere ausus sum, non nunc primùm in vestrâ familiâ auditos, vestræve mansuetudini acceptos. Novem anni sunt, ex quo Avunculo tuo Serenissimo Daniæ Regi Poëmata aliquot tradidi, quas sylvas appellavi. Sed ætas, & ocium, major q; in viro publicæ famæ cura, in iis complurima damnavit; adeò ut quæ inde huc transtuli (nam haud pauca omnino sublata sunt) variâ emendatione mutata, non tertiam carminum & Poëmatum partem faciant, quæ istis libellis exhibeo. Jam etiam Opusculum ita divisi, ut liberioris spiritus Poëmata priorem librum constituant: quæ tenerioribus versibus scripta sunt, aut magis ad Epigrammatis angustias spectant, in alterum collocentur. Si hos libellos condidissem propitiis Musis, sperarem tibi per illos commendari. Nunc rudia atq; aspera carmina mitigari apud te ob eam devotionem peto (Optime Princeps) quâ ardentissimâ, & illa & me cum illis tuæ Celsitudini totum consecro. Certè ut cætera respuas. at quæ in sacratissimi tui Patris honorem passim totis his libellis sparsa sunt, non poteris aversari; ac ne hæc quidem ipsa (Illustrissime Princeps) quæ de Tua Celsitudine sic cecini.

Fama

FAma per attonitas volitans circunſona gentes,
O meritos dignata viros, ſempérque parentum
Miratrix, ſed ſueta dies contemnere noſtros;
Huc tandem cuncta ora refer; majora videbis;
Dignáque quæ totas memores ſublata per auras.
Cernis Jacobo placidos gaudere Britannos?
Cernis ut egregij faciat ſpem Carolus ævi?
Non prius indulſit tantùm Natura beatis
Gentibus, atque uno ſpondens felicia curſu
Sæcula, perpetui longè dedit omina fati.
Major erat terris, major Tirynthius aſtris,
Impar gnatus erat. Quæ magnum Theſea proles,
Æmathiumve ducem, rapidumve æquavit Achillem?
Alternis dant fata viros. Sed noſtra litavit
Inſula cœlicolis: felix erit illa per ævum
Regibus, & nunquam marceſcere ſceptra videbit
Degeneri maculata manu. Jam regna Britannûm
Jacobo dederant Parcæ, ſceptroque ſub uno
Albion omnis erat, tepidos quâ vergit ad Auſtros,
Quáque Caledonijs Boream petit ardua ſylvis:
Cùm Genius, cui cura ſoli, generiſque Britanni,
Lætus adit Parcas, atque hæc in verba profatur.
Numina quæ regitis terras, nec caſibus eſſe
Jus finitis, quorum placitis aſſurgit in altum,
Et ponit gens quæque caput; quo mitia thure,
Queis merui votis quæ nunc mihi fata tuliſtis?
En mea confuſo geminæ nunc limite gentis,
Una erit, & priſcos jam neſciet Inſula motus.
Jam non bella palàm, tacitis non jurgia bellis.
Sed minus eſt mentes, divulſáque membra coire,
Quàm tantum ſubjiſſe caput. Quem ſecula priſca
Jam tum carminibus, vatumque examine notum,
Ah quondam petiere ſibi, quemque æmula nobis
Numina, ſæpe ſuis Regem optavere colonis,
Hos mihi Jacobum blandæ ſervaſtis in annos.
Hunc quoque, ſi veſtrum cunctis placabile terris

Numen ad auratos revocaret ſecula mores,
Hunc quoque Sol Regem naſcens, & ab æthere prono
Heſperias cùm tangit aquas, hunc cerneret unum,
Cui data jura virûm, & ſancti cuſtodia ferri.
Nam cui tantus honos? quem ſic decuere potenti
Sceptra manu? cui par magnæ ſolertia menti?
Par ſummis par ille diis, ſi tempora vitæ
Æqua forent; ſed & hunc avido tranſmittet Olympo
Veſtra colus, cùm feſſus erit tot ſecula noſſe,
Tot numerare dies, Phœnicáque ſæpe renaſci
Viderit, & plures Tithono exegerit annos.
Tunc petet ille polum, ſtirpémque in ſceptra relinquet,
Encreſcunt, vivántque precor, pulcherrima proles,
Gnata deas vincens, gemini duo ſydera nati.
Hos, precor, hos ſanctæ nobis ſervate Sorores.
Cur tamen ex illis Genitrix quem cara ſupremum
Edidit (ô deſint pondúſque oménque timori.)
Cur tener heu parvos ægreſcit Carolus artus?
Heu tener! ille quidem vultu quem candida Nais
Optet, & occultis fallens Amor improbus alis;
Sed dubius fati, vitæque in limine pendet.
Hæc Genius; quem Parca tuens, jam mitior ore
Incipit, & fauſtâ deducens licia dextrâ,
Grata tuæ eſt, inquit, pietas, qui munere noſtro
Lætus ades; nec te fruſtra veniſſe quereris:
Namque tibi arcanas magnarum pandere rerum
Ipſa vices, noſtríque volo penetralia fati;
Ille quidem cui ſceptra damus, ſed pectora virtus
Fortunâ majora ſuâ, qui mitia vobis
Præſtat Iacobus damnatis ocia bellis,
Intemerata feret longævæ tempora vitæ
Felix, atque animo cunctos prægreſſus avorum.
Illam etiam haud animo Superis, vultúque minorem,
Quam tantis hilaris junxit Saturnia tædis,
Candida fata manent. Cernet Regina nepotes,
Exemplúmque ingens, moréſque animóſque docebit,

Virtutum

Virtutum monitrix, seséque relinquet in illis.
At prolem diversus honos, diversâque fata
Expectant; tu ne causas ne quærere persta.
Sic series æterna manet, sic diximus olim,
Cùm rudis esset adhuc tellus, Divûmque hominûmque
Cœpimus immotæ secura evolvere pensa.
Ergo pharetratæ mox Virgo æquanda Dianæ,
Progenies Regum, quæ nunc puerilibus annis
Lustrat Eliza tuas (Tamesi lætissime) ripas,
Crescet; & ô quanto mirantes vertice Nymphas
Ipsa reget major! Certamina ponite, Divæ,
Præmia quæ vestrûm primæ ferat aurea formæ.
Hanc quoque si Phrygiâ volucer Cyllenius Idâ
Adderet Idaliæ Veneri, flavæque Minervæ,
Sceptrigeræque Deæ, Cytheream sperneret audax
Pastor, & innocuæ munus donaret Elizæ.
Nunc attolle caput, bifido nunc, Rhene, meatu
Plenus eas, undísque seca majoribus agros.
Cedet Eliza tibi; tædas experta jugales
Te colet, & magnam partu dabit inclyta prolem.
Ille autem parvis quem surgere cernis ab annis
In vultus animósque viri, cui prima juventæ
Limina maturis implet mens ardua curis;
Ille tuis cultus votis, ingénsque suorum
Nunc Henricus honos, heu mox te flore caduco
Destituet. Quid frustra oculos, & hiantia luctu
Ora tenes amens? Ne nos ne flectere tenta;
Ne poteris; duro leges adamante recisas
Fiximus; has nulli Superûm violare potestas.
Non illum teneras lanugine cingere malas
Aspicies, nec te alme thoris Hymenæe vocabit.
Nos tamen & magnis raptos pensabimus annos
Dotibus. haud illo quisquam vel flectere frena,
Vel melior sciſſo vibrare hastilia cœlo.
Jam mens digna coli, longæque in pectora curæ;
Henricum jam cuncta trement, jam cuncta loquentur,

Albion & tanto felix dicetur alumno,
Cùm ſubitò mea penſa cadent. Jam cerno gementes,
Cerno procul Reges, & triſti funera pompâ.
Cùm te currus aget nigro feralis amictu
In tumulos, Princeps; tardéque hunc voluere juſſi
Quadrupedes axem, ah lachrymis veſtigia tingent.
Nempe alio celſus curru, nec in agmine pullo
Sperabas miſerande vehi; letúſque triumphis,
Et plauſus audire palam, vultúſque relatos
Huc illuc cupidi partiri in lumina vulgi
Dignus eras, Princeps; ſi non arcana vetarent,
Quæ novere dij. Quos ſum factura dolores
Vix oculis vix ſicca loquor. Sic occidet ille,
Non quater exacto Piſæi tempore luſtri.
Qualia vere novo latis humentia campis
Germina, quæ primæ nimium ſub margine brumæ,
Feſtinos apices, & florea culmina tollunt;
Mox ubi plura dies ſub adulti robore Solis
Emicat, & longo cœlum ſuccenditur æſtu,
Feſſa cadunt, heu non tantæ patientia flammæ!
Sed lachrymis ô parce tuis; diductáque fletu
Pectora, jam fatis hilaris melioribus imple.
Læta canam; tu cùm noſtris mox tempora dictis
Attulerint matura fidem, ſolemnia ſæpe
Dona feres templis, & numina noſtra vocabis.
Laurus ie dextrâ, lauri felicia frontem
Serta tegant, divéſque oleæ circum ambiat arbor.
Nil nimium gaudere potes. Non amplius aſtris
Eminet, & parvos delet Sol aureus ignes,
Quàm tua jam Terras ingentibus Albion actis
Vincet, & erectis umbrabit celſa trophæis.
Tantus erit, taléſque feret tibi Carolus annos,
Cui tu nunc ignare times. Huic aurea nemus
Stamina, cerne colos plenas; non enſe recidi,
Non poterunt flammis; ſolvet vix ulla ſenectus.
Aſpicis haud forti nitentem aſſurgere greſſu,

Pallen-

Pallentémque genas? Cauſas ediſce latentes.
Numina quæ Stygias regnant inviſa per umbras,
Et Rabies, pallénſque Nefas, & lividus Horror,
Et Diræ, & Mortis non unquam explebile pectus,
Veſanas junxere manus, atque invide Carlo
Tela parant, fruſtra; ſpémque illam exſcindere terris.
Henricum, cui vita brevis, minus illa furentum
Agmina terribili certant fregiſſe duello.
Iſtum animis odiiſque petunt; ſed numine noſtro
Fata invicta manent. Vivet, referetque paterna
Ora puer. Sic nempe metum cunabula quondam
Invalidi fecere Patris, quem ſceptra tenentem
Nunc colis, atque omnes auxerunt viribus anni.
Nos paribus fatis eadem in veſtigia gnatum
Ducemus: ſurgent vires creſcentibus annis;
Et gravius nutabit apex, nodique lacertis
Accedent; frontique (hæc nunc vix tuta ſereno)
Robur, & implacidi veniet patientia cœli.
Præcipuè patrias addemus pectore curas.
Sic ingens, ſic fortis erit, vique inſcia flecti
Corda geret, facilis precibus manſueſcere victor.
Idem animus, ſtudiis idem modus; omnia credas
Eſſe pares: ætas faciet diſcrimina tantùm,
Purpuráque, inque Patrem proni reverentia Natî.
Haud ſecus Aſſyrij ſupremo in cardine mundi,
Quà ventique, auræque ſilent, nec nubibus atrum
Torquet hyems cœlum, ſævítque in murmure fulmen;
Surgit ad exerti flagrantia lumina Solis
Æthereus Phœnix, fœcundáque funera poſcens,
Se parit igne ſuo; Jam qui pater æthera carpſit,
Gnatus adeſt, librátque novas non inſcius alas,
Sic quoque ſic cœlo quàm tunc præſtabit Eoo
Albion! haud illic geminum Phœnica videri
Fata ſinunt, unámque novant ſua buſta volucrem.
Iſta duos ſimul alma feret, longáque videbit
Luce frui, & nullo mercari funere vitam.

Tunc oculos, tunc ora feret, non ſydere Princeps
Deteriora tuus, famámque implebit avitam.
Cedat atrox livor. Tantæ quis pignora mentis
Ah odiſſe queat? blando trahet omnia nutu
Mitis, & effuſâ redimet ſibi pectora gazâ.
Ille etiam ingenti Cyrrhææ numina ripæ
Placabit cultu. quoties Parnaſſida laurum
Carpere jure queat, tortámque imponere fronti?
Et faceret, ſed tota teget tunc tempora major
Laurea, & hos ultrò ſic diſſimulabit honores.
Jam pedes enſe minax, flexis eques acer habenis
Stabit, & anguſtos vectorem coget in orbes.
Lenta nec erranti curuabit cornua telo.
Finge animo quodcunque voles, majora paramus
Quàm voto cepiſſe queas. Vix prima nitentes
Veſtiet umbra genas, toto cùm protinus Orbe
Jam Nymphis certamen erit; quæ digna decoro
Nubere, quam tanti maneat fortuna mariti.
Poſtquàm ſponte deûm, thalamis animóque recepta
Hæc fuerit quam fata dabunt, tunc ille Nepotes
In gremio deponet Avi, regníque, ſuíque
Pignora. Semper amor patriæ nova ferre merenti
Gaudia, ſemper amor dignos coluiſſe parentes.
Vivite concordes, & quam vix purpura novit
Oſervate fidem. Sceptris ingentibus omen
Addimus. Haud timidæ noceant convicia linguæ,
Haud ſceleris perjura lues. Sint omnia veſtri
Plena metus, majórque metu reverentia ſurgat.
Hoc erit, hoc longo pridem juravimus ævo.
Deſierat ſic Parca loqui, Geniúſque referre
Quas decuit grates. Tunc ille revolvere ſortes
Amp[illegible] lectíque daras. Tunc lætiùs extulit ora,
Et cor[illegible] effuſis implevit floribus annum.

AD

AD POTENTISSIMVM ET AUGUSTISSIMUM Britanniarum Monarcham, *IACOBVM PRIMVM*, *Kalendæ Ianuariæ.*

TErrarum pelagique potens, ô digna faventum
Cura Deûm, ô ſecli Princeps melioris origo,
Mundi primus apex, & divis proxima cervix;
Pone precor radios: Phœbóque aſſueta minori
Numina, da noſtras tibi poſſe accedere Muſas.
Non ignota canent; ſed quæ luis tibi viſa tenebris,
Quæque mihi, cùm jam ſupremum clauderet annum
Luna vigil; Tu ne noctis ſecreta beatæ
Vulgari argueris. Jam jam mihi maxima fandi
Libertas; dum capta ferox diducit Apollo
Pectora, & edomitæ cogit non parcere linguæ.
Jam novus emenſos curſus, ſolitáſque parabat
Phœbus inire vias, mundo cùm munera Janus
Diſſipat, & feſtas toto videt ore Kalendas.
Ecce autem inſomnem thalamis, pigroque cubili,
Verſabat me cura ferox, quæ, Maxime Regum,
Digna tuis poſſem donaria figere templis:
An nudam infelix, nudam ah portendere dexteram,
Ah poſſem, & largi jam nil meminiſſe diei?
Cùm ſubitò me Phœbus init, diductaque pandit
Lumina. Fas vati vultus vidiſſe Deorum.
Tunc etiam nobis, tunc viſa Britannia magnos
Moliri veneranda gradus; Nec noſcere longùm
Nempe Deam, cultúſque ſuos teſtatur honores.
Stat fronti gentile bonum, vir pejor Eoo
Gemma mari, & poſitas diſtinguens Laurea gemmas,

Gramineæ

Gramineæ per terga comæ, viridéſque lacerti,
Armatæque manus; dextram Neptunia cuſpis
Degravat, & preſſâ firmat veſtigia tertâ.
Palla humeris, dignúſque Deâ radiatur amictus.
Illic & veterum facies antiqua parentum,
Illic & varios ſignat ſua pompa triumphos;
Seu Celtas iniere domos, ſeu gentis Iberæ
Littora, ſeu medias tinxere cruoribus undas;
Hoc tum Diva ferox ſanctum velamine corpus
Inducrat, tantíſque memor gaudebat alumnis.
Aurea præcipitem nectebat fibula veſtem,
Aurea pendebant lucente monilia collo.
Qualis odoratos apices, & florea torquens
Brachia ab Idæis conjux Berecynthia templis
It magno placitura viro: ſubridet eunti
Lætus Hymen, ſperátque Deos Natura recentes.
Illa domum, & magni quærit faſtigia tecti,
Regaléſque thoros, queis jam ſub nocte ſilenti
Membra dabis. Thalamum Muſæ, primáſque ſopori
Sæpe negans tenebras tuus illuſtrabat Apollo.
Ut venit, inque tuos effuſa Britannia vultus
Te gnatúmque patrémque vocat, tu colla genáſque
Diripere atque avidos multùm committere vultus.
Illa autem; Salve ô noſtri lux optima Mundi,
O læto plus Sole nitens, cui craſtina pandet
Lux iterum obliqui repetita exordia curſus.
Tempus, iö, nunc tempus adeſt, quo munera nobis
Di Superi, túque Alme dabis. Jam Gallia dives
Magnanimis ſublimis equis, & pube feroci,
Et pedes enſiferas quæ jactat Iberia turmas,
Nec propè fœmineo ſortis Germania vultu,
Conveniunt, optántque novis huc ecce Kalendis
Huc thalamos intrare tuos, mox flectere pulchris
Vocibus, atque mihi primum ſubducere donum.
Des pacem ô requiémque petent, tu ſydere leni
Aſpicias terras; tumido des vincula Marti,

Tu

Tu Pontum bellare vetes, terríſque fretíſque
Mitis, & humanis jubeas bonus ocia rebus.
Arma premas, malíſque coli; néve omnia ducas,
Stes medius cunctis, æquátáque pondera libres.
Hæc tua jactabunt externæ ad limina Nymphæ;
Sed mihi primus honos, primi mihi gloria doni
Debetur; ſcis nempe, Pater; ſic munera Crete
Prima ſui, ſic prima ſui fert Delos alumni.
O mihi quem dudum per longi exordia fati,
Et ſortes vatum ambiguas, Regémque Patrémque
Promiſere dii, ſat ſic ingentia nobis
Dona feres, ſi tu pridem quæ magna dediſti
Continues longùm, & tecum tua munera vivant.
Nam mihi quæ tandem, nimij licet improba voti,
Plura velim, vel plura meis, quos Pontus adorat
Auſpiciis, ô magne, tuis, & Numine tanto
Securis timidæ gaudent aſſurgere terræ?
His ſeu vicinâ pallentia littora nocte,
Seu placet Actoas Hyemes, aut ſole recenti
Mygdoniam ſpectare diem, patet hoſpita tellus,
Unda patet, populíſque nefas læſiſſe Britannum.
Nomen amant, noménque timent. Hac ſede revelli
Poſſe velim, tantúmque decus vidiſſe meorum.
Quod tamen ô video quantum eſt? ut fata beato
Indulſêre ſolo? quoties per pinguia culta
Hæret arans, tardóſque boves, ſtimulóſque fatigat
Terra tenax? Nulla arva vocant, nulla avia, nulli
Triſte ſilent montes. Jam non aut India felix,
Aut magis auriferâ diteſcit Lydia venâ,
Quàm noſtras flavere domos, externáque cerno
Regna metalliferis in nos deſcendere rivis.
Tum longæva quies, inconcuſſíſque per ævum
Divitiis pax alma favet; nec gnara tumultus
Uxor, ab externo redeuntem Marte maritum
Quid ſint bella rogat. Spiſſis opulenta coloni
Raſtra movent, macris ſunduntur ovilia campis,

Molliáque

Molliáque aſſurgunt criſpato vellera tergo.
Aſt animos ſi fortè juvat, ſi corda meorum
Metiri, quid fata mihi ſuperíque volentes
Nunc ultra tribuiſſe queant? Hæc ſerior ætas
Conſiliis apta eſt, hæc magnis cruda triumphis,
Hinc majora manent jam lætam ſecula prolem,
Sic ubi ſurgentem latè diſtinxit equorum
Non ſimplex Natura gregem, primúſque juventæ
Impetus, his fortes docilis cœpiſſe lupatos,
Ille tubas, ſonitúmque pati, ſubvertere campum
Alter, ad Iſthmiacas hic promptior ire coronas.
Eloquar edomitos fluctus, magnóque tridente
Cæruleum ceſſiſſe Patrem; méque omnibus eſſe
Numen aquis? quàm ſæpe meo ſine numine venti
Nil auſi ſævire, ſilent; quàm fortibus alis
Expectant quas ferre vices, quà verrere cœlum
Ipſa velim, juſſóque regant ſpiramina curſu?
Quid juvat Eoas toties numerare carinas,
Perſidáque & Danaë ſpatioſam in marmore claſſem?
Nunc mihi plura licent; nunc cùm ſubtexere velis
Alta paro, pereunt ſpatioſi jugera Ponti,
Nec cœlum Neptune vides. Vix puppibus æquor
Sufficit, & totos conſumunt carbaſa ventos.
Jámque novos fines, ratibus jam littora jungi,
Jam pontem Natura timet. Si dicere fas eſt,
Et laudes fers Magne tuas, tibi cuncta fatemur
Deberi, fatiſque tuis, & fata regenti
Ingenio. Das, Alme, mihi, quòd pace verendâ
Incolumis, quòd non externis ignibus arſi,
Quòd pelagi princeps, quòd formidabilis hoſti,
Si quis erit, quòd cuncta favent, hominéſque, diíque,
Aſtráque, & Arctoas melius Sol temperat oras.
Nunc age, Magne Parens, & quæ jam tanta dediſti
Dona mihi, queis me latè creviſſe potentem
Fata ſtupent, ſuperíque, & territus invidet Orbis,
Eſſe æterna velis. Hoc primo in limine Jani

Poſceris,

Poſceris, hæc ſolùm tua dona Britannia quærit.
Mox te aliæ facilem, ſeu quas face pulcher Eoa,
Seu quas extremis moriens Sol aſpicit undis,
Fas habeant terræ. Sic te illæ parcere poſſe,
Et ſævire ſciant; timeántque colantque potentem.
Unde ſuo largus diſpenſat Jupiter Orbi
Frugiferos imbres, & amici lumina Solis,
Hac quoque ſede tonat. Sed tu mihi munera prima
Nil vultu terrente feras. Satis omnia ſanxi:
Annuis; eſtque tui propior tibi cura Britanni.
Finierat, manibúſque datis venerabile corpus
Sternit humi, & magnum ſub Principe Numen adorat.
Ecce ſub hæc longo venientes ordine Nymphæ
Irrupere fores, thalamíque in limine primo
Intendunt clamore manus. Stat Iberia fuſcas
Pulchra genas, & pulchra manus, incertáque multis
Cultibus, & mutans etiam tum Gallia veſtem.
Mox aliæ coiere Deæ. Germania longas
Excuſat poſtrema moras. Te munera cunctæ,
Te lenem placidúmque rogant. Mihi murmure tanto
Rupta quies; Stratum attonitus, ſtratum omne pererro,
Utque animo mentémque Deûm, noctíſque beatæ
Accepi monitus; juvat ô juvat augure ſomno,
Iſta ſequi, dixi, magnarum exempla Dearum.
Quippe ſub hæc Mundus reducit primordia Phœbi
Omnis ab ingenti petat omnis munera Rege;
Solus ego donare velim? quin exuo mentem
Hanc magis, atque hilari poſco quoque munera luce.
O decus, ô ingens animoſæ gloria terræ,
O Patriæ lux alma tuæ, cui ſtamine longo
Fata dies & ſceptra ſerunt, cui prodigi doni
Sors favet, atque alios promittit Jupiter Orbes;
En nova decurſos reparant jam ſydera menſes:
Tu nova da noſtræ ſuccedant gaudia menti.
Da molles aditus. Da magnam tangere dextram,
Et genua amplecti, & veſtigia verrere vultu;

Et

Et quibus immeritum voluisti attollere donis,
Adde aliquid. Nempe ista tibi, nempe, Inclyte, vota
Haud ingrata reor. Non qui per thurea sacra
Sollicitat Superos, aut lecti sanguine tauri,
Plus cœlo placuisse potest, quàm si quis inanes
Tendit in astra manus, & nudâ voce fatetur
Majoresque Deos, & egentem Numinis Orbem.

AD SERENISSIMUM DANIÆ REGEM CHRISIANUM IV. *cum in Angliam appulisset.*

STerne leues fluctus, Cygnorúmque agmina ripis
Tota cie; jam serta viris, jam certa parentur
Puppibus, & pictis vibrent vexilla carinis;
Festus iö terrísque dies, undísque Britannis,
O Tamesi, nostróque venit lux aurea mundo.
Aspicis ut domitæ nubes, ut purius æther
Luceat, & tepidi melior clementia cœli?
Aspicis Arctoi longè diademata regni
Nunc undis radiare tuis; & mille carinas,
Mille per angustos nunc feruere Numina fluctus?
Tale nihil cervice gerit, qui tecta Tonantis
Cúmque suis fert Astra Diis; tu sancta decorus
Pondera, tu læti felicia munera fati.
Sume lumens; tantùm, nimio dignatus honore,
Ne tumeas; tutæque rates nunc mitia scindant
Cærula, nunc longas jungant examine ripas.
Tu quoque purpureo quo non ex agmine quisquam
Majori fert sceptra manu, quo Principe gaudet
Cimber, & Ausoniæ populator Vandalus oræ;
Cerne deos felix, & quam facis ipse beato
Lætitiam pompámque solo; cerne omina tanta,
Et fruere: haud unquam paribus ratis ardua fatis

Se

Se tulit, aut tantùm ſtudiis adjuta deorum.
Ipſa polo Pietas (quanquam rariſſima terris
Inſidet, atque homines odit contempta relictos)
Deſiluit, pelago Cimbras innare carinas
Ut vidit, claſſémque tuam veneranda petivit;
Qualis adhuc læto celebrabat ſecula vultu
Aurea, nec læſo deformes Numine terras.
Ipſa miniſtravit velis, puppémque recurvam,
Diſſimulata deam, melioribus impulit auris.
Interea Phorcíque cohors, Glaucíque biformis,
Mirantur, molémque ratis, cultúſque, virósque,
Et Pietas quòd puppe ſedens per marmora latè
Curreret, atque viris ſtaret permixta virago.
O quoties navéſque tuas circunſtetit agmen
Nereidum, cauſámque viæ, nomenque rogavit!
Cuncta docet Pietas, velletque hæc ſcire jacentes
Latè omni ſub Sole domos: Non bella nec ignes,
Hæc, inquit, bona claſſis agit. Spectate catervas,
Armatáſque manus; Pacique, mihique, miniſtrat
Iſta cohors. Rex ille ſui, Rex ille, Patérque
Cimbrorum, has torquet fraterna ad littora puppes.
Cauſa oge ſola viæ. Charæ ſpectare Sororis
Ora cupit, Fratriſque jubar, parvóſque Nepotes;
Unanimésque ſimul ſociare in fœdera gentes;
Cimber ut Albionis ſit jam non exterus oris;
Inque ſuis flavos numeret dilecta Britannos
Cimbria, & ingentis pereant diſcrimina Ponti.
Hoc meliùs quàm ſi tumidâ per cærula bellum
More ferat, quærátque feros in marte triumphos.
Sic Pietas; laudéſque tuas tot vocibus urget
Sedula, quot parvas cœlo crebreſcere flammas,
Surgere quot pandos cernit per cærula fluctus.
Attendunt, credúntque Deæ; Tunc oſcula puppi
Ferre juvat, lætiſque ratem luſtrate choraeis.
Jam conſanguineæ claſſis ſuccreſcerat oræ;
Jam Tameſis tibi vector erat, tantóque ſuperbus
Pondere,

Pondere, vicinos pulsabat fortius agros;
Ecce tibi multo deductus remige Princeps,
Causa tuæ, preciúmque viæ, qui sancta Britannis
Jura ferens, verâ surrexit ad æthera famâ,
Adventat: strepuêre tubæ, placidóque tumultu
Rauca per attonitas sonuerunt tympana ripas.
Ipse coronatæ supremo in margine navis
Stabas, & dulci tendebas brachia motu.
Ille autem totos avidis complexibus artus
Miscuit, & charum porrexit ad oscula Natum.
Tum Procerum confusa manus, Cimbríq; Britanníque,
Amplexu miscent animas. Hinc inde satelles,
Et ferri secura seges. per tela quieta,
Atque inter medias volitat pax aurea turmas.
Mox patriam nostro mutasti remige puppem,
O Princeps. Quæ tum latè spectacula Mundus,
Quot vidit miranda dies? Concordia Regum
Tuta fide, junctæque manus, sociúmque colendi
Ambitiosus amor. Quæ tum quæ lumina vulgi?
Qui plausus? plenis quæ stabant agmina ripis?
Ripa angusta viris, ratibúsque angustior amnis
Defuit, & cœlum votis, & plausibus aër.
Sic ubi de Phrygiis Cybele turrita ruinis
Ausonios dignata lares, Tyberina secabat
Flumina, jam Latii cernens pia culmina regni,
Roma suis effusa jugis, Roma omnis in illis
Constitit, & vidit venientia numina ripis;
Et votis plausúque deos, ac fronde recenti,
Tota coronata celebrabat vertice plebes,
Jam mistis diffusa jocis, jam longa retexens
Secula; & Iliacos memorabat læta parentes.
Nec magis hi festo duxere ad celsa paratu
Templa Deam, quàm vos cupidæ cinxêre coronæ
O Reges, vos dum unda vehit, vel prima receptos
Ripa per instrates ducit formosa tapetas.
Donec in aspectum populis penetrale subistis,

Tum

Secretóque

Secretósque lares, quà se alta palatia solis
Regibus, & primis pandunt opulenta ministris.
Tunc votis tunc tecta fremunt, tunc Regia plausu
Læta sonat, festúsque dies urbésque colonósque
Exercet; nexis urgent sua rura choreis,
Aut vix sublatis reparant convivia mensis.
Cumque diis Regésque canunt, Regésque verentur,
Æternósque volunt. Quæ jam dare gaudia Divi,
Aut tu plura queas? Tantùm ne tempora cursu
Præcipitata cadant queis has dignabere terras.
Seu tibi mens totos hîc Phœbi cernere cursus,
Sit piger ô Phœbus; sive hîc consistere mensem,
Tardus eat mensis, longúmque in secula duret.

AD ILLUSTRISSIMUM Walliæ Principem, HENRICUM.

DElicix Superûm longi post tempora fati
Optantes auctore deos, cui sanguis utrinque
Regia ab innumeris connectit nomina fastis,
Otener & magnis si sunt natalia divis,
Penè puer, primísque viro jam major in annis;
I, sanctos attolle focos; i, thure Sabæo
Fac Superis: nullo cesses in vota paratu.
Olargos tibi nempe deos, & plura meremes,
Quàm donasse queas! Nec te vel murice læto
Exceptum, cùm prima tibi lux panderet Orbem,
Hîc memorem, aut illos vultúmque animúmque dedisse
Fortunæ tibi, magne, parem. Plus omnibus illis
Te tanto Genitore satum. Majora tulisse
Dona tibi haud magni potuit clementia cœli.
Is tibi, Chare Puer, nomenque insigne, decúsque,
Istibi Phœbus erit. Melior nec sydera Phœbus
Temperat, Arctoas Genitor quàm torquet habenas.

Tu

Lumina, jam primo radiis assuesce sub ævo.
Disce diu vultus in imagine figere tantâ.
Hîc priscos agnosce Duces, venturáque qualem
Promittunt te fecla sibi, qualisque nepotes
Effinxisse velis. Non debuit ulla Parenti
Te proles majora suo. te lumine vitæ
Sustulit, & parvos erexit ad oscula vultus.
Nec sceptris aptare manus, animúmque capacem
Fingere, nec pulchros cessavit comere mores.
O Princeps, non ille quidem superabile nomen;
Sed cuperet vinci, teque in certamina laudis
Æmulus ipse Parens, nimiósque invitat honores.
Tu quoque quàm vigiles agitans sub pectora curas,
Ne pereant præcepta caves? non semina condi
Tanta solo meliore queant. Jam reddita cœlo
Ecce virent, jam læta diu fastigia tollunt.
Quis studium, morésque tuos, quis singula ritè
Expediat? nunc fræna ferox, duroque lupatos
Ære quatis, nunc tela manu breviora coruscas,
Nunc pia cum doctis sociasti commercia Musis.
Mox ubi lassatam ludo diffundere mentem,
Et studiis placet esse modum; quis crederit annis?
Sic puer es, magni quondam ut cunabula Martis
Vidit in Odrysiis mater Saturnia sylvis;
Ut referunt creviisse Jovem, vel cujus in ore,
Tunc quoque cùm fieret, stabant oracula Phœbum.
Talis ades, sic ora decens mortalia supra
Assurgis, vultuque potes tot reddere divos.
Et si purpureas humeris crispaveris alas,
Cautus Amor; si templa colas, sis lætus Apollo;
Si nemus, ipsa Paphi pulchrum Dea credat Adonim.
Et nunc quod teneros Parnasso infigere gressus
Approperas, perge Alme puer; fecere canenda,
Et cecinere dii, fidibúsque armísque potentem
Æacidem Phrygii stupuit vetus incola campi.
Liber ab Ogygus Gangetica littora campis

Fregit,

Fregit, & Auroræ populos, Pontúmque rubentem,
Victor habet, cui ſacra tamen non vertice Nyſæ
Grata magis, quàm quæ Cyrrhæo victima templo
Ponitur, & ſociis ſurgunt altaria Muſis.
Te quoque fama manet; nec pectus purpura velat
Pulchrior, aut ſacro nitidæ quæ culmine frontis
Olim vincla geres, quàm de Permeſſide lymphâ
Hic quem nunc tibi quæris honos. Natura potentes
Sponte facit, dignóſque ſuo diademate virtus.
Vive diu, ô felix, ô tot veneranda deorum
Progenies, cui fama novas jam concipit alas,
Laſſaríque timet, cui tela, enſéſque, mináſque,
Mars parat, & placidas mulcet pax aurea gentes.
Vive diu, magni cujus cunabula Reges
Jam celebrant, cultæque parant ſua carmina Muſæ.
Te Seréſque Arabéſque colant, te quicquid Eoâ
Luce videt, quicquid ſeris Sol aſpicit undis.
Atque ubi creſcentes major numeraveris annos,
Te Nymphæ, formoſe, colant; Te Delia ſupplex
Exoret, vel quæ nunc Ægida ponere Pallas
Sponte volet, nimiúmque tibi manſueſcere virgo,
Nec durus ſis nempe deæ. Des numina cœlo,
Progeniémque novam. Sed cum laſſata triumphis
Mens erit, & totos cælabit laurea poſtes,
Serius in cœlum quàm te cupida aſtra vocabunt
Approperes felix; aut ſi mortalia tangunt
Vota deos, terras habeas, terráſque perennis
Cum Genitore colas, nunquamque hæc ſceptra relinquas.

PLANCTVS CORYDONIS AD PHOEBVM.

PAstor Apollinei Corydon in limine templi,
Sordidus imbre genas, & triſti pectus arena,
Hoc propè defectâ lugebat arundine carmen.
Phœbe parens, ô cui ipſe ſuas Deus æquoris undas
Tradidit, ipſe ſuos conceſſit Jupiter ignes;
Cur mihi, Phœbe parens, facies pulcherima rerum,
Qua renovas campos, & das nova ſæcula Mundo,
Cur radii placuere tui? cur paſcua noſtra
Deſerui demens; & me ſpes vana fefellit?
Tunc mihi præſagę fruſtra dixere volucres;
Quò properas Corydon? cur regia tangit agreſtem?
Cur fuges hos ſaltus, & concipis improbus anlam?
Talia dicebant, nec me movere volucres,
Nec qui congemuit, liqui cùm paſcua, taurus.
Sed veni, & geminâ cecini tibi lætus avenâ,
Forſitan & placui; certè tu vertice toto
Aſſenſus, noſtro dixiſti in limine perſta.
Perſto equidem; atque auſus tenui nunc ludere verſu,
Nunc etiam poſitis Cytharam tetigiſſe Cicutis,
Et tentare fides, fidibúſque retundere plectrum,
Ecce animum, & duros longâ ſpe fallo labores.
Tertia jam ſylvas velavit frondibus æſtas,
Et toties nudis redierunt frigora campis,
Ex quo triſtis, inops, ſancta hæc altaria circum,
Et te, Phœbe parens, & me per vota fatigo.
Sæpe mihi dixit patrii mens conſcia tecti,
Et mihi ſæpe ſenex in cortice ſcripſit Amyntas,
Reſpice oves, Corydon, ſatis ô ſatis irrita vota.
Laſſa vere Deos; Corydon tua reſpice tecta
Quid facerem? poſſémne tuis diſcedere templis?
O dolor! ad patrias remearem inglorius oras?
Quicquid in has mecum vexi trans cærula ſedes,

Corrupi

Corrupit jam longa dies, saccúmque, pedúmque,
Et calathum, & sparsos quæ fistula convocat agnos.
Sic pudet heu rediisse domum. Si cedere cogor
Hinc tamen, atque iterum pecori comes ire relicto;
Cedam equidem, & meritas effundet Musa querelas,
Damnabitque Deos, & iniquæ stamina Parcæ.
Forsitan & nostri linquet monimenta doloris,
Forsitan & nostræ credent nova sæcula Musæ.
Quicquid erit, te Phœbe colam; te fistula nostra
Semper adoratum te gramine dicet in omni,
Dum fluvius salices, & habebit campus avenas,
Et lupus in sylvis, & erunt in vallibus agnæ.
Nam mihi nomen erit, vivétque in secula carmen.
Vidi ego, dum tremulis errabam pastor in umbris,
Et mea dilectam laudabant carmina Lydam,
Agrestes stupuisse Deas; tunc omnis arundo,
Omnis ager, nostros referebant omnia versus.
Vidi ego certantes, & erant tunc præmia cantus,
Et Chromin, & Nomaden; novi quid possit Acestæ
Fistula, sed nostris ratus mihi certat in agris.
Quà tumidus nigrâ Rhodanus circumtonat undâ,
Qua mutat Ligeris syrtes, & Sequana Mundum
Nutrit, & Eridanus, Tybrisque in marmora currunt;
Quicquid iis latè pastorum ludit in arvis
Tu compone mihi; Vincet mea fistula multos.
Hæc mihi si Superi vitam, si tempora donant,
Immortalis erit. non hanc tuba Lydia vincet,
Non buxus Cybiles, non rauci tympana Bacchi.
Audiar Hesperiam quà porrigit ultima terram
Audaci Natura sinu; quà sydera prima,
Phœbe pater, pulsas cupidóque renascentis Orbi.
Forsitan & nostram cupies servasse Camœnam,
Cùm dicam gentes varias, atque extera tura,
Et falsa indignus vendam heu præconia Divis.
Et mihi si durus (nam nulla hoc nescíet ætas)
Si mihi durus erit, dicent per sæcula gentes

Innumeræ; miſer es, Corydon, & crimine fati,
Et Phœbi culpâ Phœbus non omnia vidit.
Quid mihi quòd toto luces pulcherrimus Orbe,
Quid prodeſt medium quòd libras pondere Mundum,
Quéque regis Muſas, tu Muſis doctior ipſe,
Si mihi nec luces, nec amas mea carmina Phœbe?
Parce Pater, parce ô cœlorum prima voluptas;
Juſta queror. Si me Phrygios meus error in agros
Egiſſet, ſi barbarici ſub limine tecti
Tot mea pulſatas laſſaſſent verba cicutas,
Forſitan ipſe Midas, & duri barbarus oris
Laudaſſent verſus; eſſent & præmia laudis.
Hei mihi ſi queſtus jam jam cùm videris iſtos,
Phœbe pater, dices, ſunt hæc bona carmina, Paſtor;
Hoc tantùm; & ſterili penſabis carmina laude.
Sæpe mihi arridens, Corydon pete munera dicis.
Quid petat ah Corydon? Corydoni delige munus
Ipſe pater. neſcit quæ poſcat munera Paſtor.
Sponte meâ ſanctas pendebit carmen ad aras;
Sponte tuum noſtræ reſonabunt nomen avenæ;
Sponte tuâ mihi dona feras. Non improba poſco,
Thura Jovi ferimus; fœcundos Jupiter imbres.
Pro mulſo ſegetes reddit frugum aurea Mater,
Nyſæúſque pater pro cæſâ vina capellâ.
Aut mea ſi gravis eſt tam parvo fiſtula ſumptu,
Redde pedum, calathúmque, & paſtoralia ſigna
Quæ tuleram mecum, quæ longus deterit uſus;
Redde precor, Pater alme: per 3 tua pignora quæſo,
Delicias Divûm, & venturi ſydera Mundi.
Sic te tam ſuperent, tam poſt ſe Phœbe relinquant,
Quàm tu ſceptrigeros viciſti Phœbe parentes.
Finierat Corydon, ſanctique in pulvere templi
Sternebat miſeros effuſo vertice crines.
Audiit; éque ſuis Phœbus pater annuit antris.

CORYDONIS CARMEN EUCHARISTICON.

QUestus erat Corydon; moriturâq; lumina ſolvens,
Oſcula jam poſitis dederat ſuprema cicutis,
Cùm pater arcano Phœbus reſpondit ab antro;
Parce queri, Corydon, non dices extera rura,
Nec falſa indignis vendes præconia Divis.
Noſter eris; noſtrámque ſenex cantabis ad aram.
Dixit, & auguſtam conceſſit ad oſcula dextram.
Tunc verò & vultus, & livida lumina terſit
Auditus Corydon, tollénſque ad ſydera palmas,
Phœbe pater, dixit, quo non vel pulchrius æther
Numen habet, vel habent noſtræ fœcundius auræ,
Da veniam lachrymis, & vano parce timori.
Nam mihi, linque greges Corydon, majora dabuntur
Præmia, dicebas; & te promittere vana
Phœbe nefas, ſanctóque nefas diffidere Phœbo.
Sed me tempus iners, inimicáque fata Camœnis,
Magnáque terrebat reliquorum culpa Deorum.
Nunc mihi ſpes lentæ, poſito nunc cura tumultu,
Securúſque timor, placet & dilata voluptas.
Jam neque ſylveſtres quæram ſub fontibus umbras
Paſtori, pecoríque, & in altę devia rupis
Deducam faciles ignota per arva capellas.
Nec patriæ reducem crudelis Muſa Lycotæ
Ridebit, digitóve malus monſtrabit Aceſtes.
Jam non paſtor ero; non ſi Pan ipſe Cicutam
Promittat; non ſi quærant mihi paſcua Nymphæ,
Inque lupos donent medicatas cantibus herbas.
Ite greges, longúmque mihi mea cura valete;
Quáque ſub ingenti vix lucent arbore Soles,
Huc illuc varius deducat carmina Paſtor;
Ruſtica vel facili meditetur dona puellæ,
Aut volucrum nidos, aut plenis fraga caniſtris:

Vita quidem felix, & quam ſat poſſit amare,
Quiſquis nec Superos, Phœbi nec limina novit.
At mihi nunc meliórque dies, & purius æther
Lucet, & optati propior ſtat linea cœli.
Jam mihi non calami, ſaliciſque è cortice lento
Fiſtula, quæque movent agreſtes carmina Nymphas,
Sed plectrum, doctæque fides, Cytharæque, Lyræque
Nomen, & auratâ magnum teſtudine carmen.
Phœbe pater, lux prima Deum; quem ſydera preſſis
Ignibus, & poſitis venerantur cærula ventis,
Phœbe ſalus terræ, cœlorum gloria Phœbe,
Plectra quidem laudéſque ſuper, mortalia vincis
Carmina, téque poteſt tantùm tua dicere Delphos.
Te tamen audebit Corydon tuus ardua ſupra
Ferre poli, factiſque tuis ornare Camænas.
Atque tuis raucum ſeu claſſibus ingemet æquor,
Seu duras acies, lethaliáque arma per Orbem
Miſcebis regale fremens; aut mitia victor
Jura dabis, vincéſque tuam fortiſſimus iram;
Quicquid ages, mea plectra canent; famáque perenni
Munera perſolvam, ſeu quæ jam Phœbe dediſti,
Seu quæ Phœbe dabis. Nulliſque hoc excidet annis;
Et tua me virtus, non inclyta munera, Phœbe,
His egere locis. Teſtor Cytharámque, Lyrámque,
Quam mihi das, & quas liqui jam major avenas.
Tu quoque Phœbæi cuſtos ſanctiſſime templi,
Seu te Theſtoridem, ſeu Thiodomanta vocari
Præcipis, aut longè cernentem fata Melampum.
O decus, ô ingens, Phœbi ô digniſſime cultor,
O tantùm Phœbóque minor, Phœbique miniſter;
Tu mea non altos mittentia thura vapores
Commendare deo, tenuéſque advertere fumos
Dignatus, magni placaſti numina Phœbi.
Accipe nunc grates, téque hoc ô ſancte ſacerdos,
Hoc audire juvet. Non irrita dona tuliſti.
Audiet hoc tellus, quamcunque liquentibus undis

Litton

Littora vel pulsant, vel plenis flumina ripis:
Audiet hoc æther, nullóque tacebitur ævo,
Pastor erat Corydon, Pastoris vota Sacerdos
Detulit ad Phœbum, vatémque hunc fecit Apollo.
Hæc Corydon: Phœbúmq; sibi Phœbiq; ministrum
Supplicibus votis, & multo thure vocavit.
Nec mora, jam major, facili jam Numine lætus,
Jam sua majori fixit vestigia plantâ.

DAPHNE.

ARserat in Daphne, quæ formosissima rerum,
Threicius Corydon, dilectus Apolline Pastor;
Ille quidem multùm veteri dignatus amore
Leuconoës Nymphæ, sed sic nova fata ferebant;
Sola placet, sola est Corydoni candida Daphne.
Ergo illi virides de cespite condidit aras,
Thuráque cum festis posuit redolentia sertis.
Sæpe novæ messis primas adolevit aristas,
Sæpe novos fœtus pecorum; super omnia cantus
Addidit, & tantos versu celebravit amores.
Spes quoque longa fuit. Daphnem tunc fortè regebant
Eximii Heroës, Divûm genus. His sua sæpe
Vota tulit Corydon; sæpe illi verba dedere,
Spémque simul. Spes ô reliquis magis anxia curis!
Donec cheu tristes vultu dixere severo;
Vana petis Corydon; non est penetrabilis igne
Nostra tuo. Corydon pastor; Daphne una dearum est.
Horruit auditu Corydon, atque obvia latè
Tunc fregit virgulta manu, seséque dolorémque
Affatus, solis erravit torvus in agris;
Ac tandem miseræ posita caligine mentis,
Sedit in adversâ, dixítque hæc carmina, ripâ.
O mihi non dextro dilecta Cupidine Nympha,
Nympha decus sylvæ, quis te in fastidia nostri

Egit, & incœptos crudelis rupit amores?
Anne quod heu prono veni ad tua lumina vultu
Supplex, & foribus posui sæpe oscula nudis,
Hinc humilem rata nempe virum, virtutis egenæ
Suppliciis damnas, fastúque assurgis iniquo?
Falleris ô; me Leuconoë ditissima campi,
Me fovet, & blandis auget sua munera verbis.
Nunc mihi lacte novo, pomis modò temperat æstum;
Sæpe tulit cyathos, dextráque rubentia fraga
Sæpe tulit, plenis quæ legerat ipsa canistris.
Ast ubi bruma nives canentibus increpat alis,
Extruit illa focos, & quas nos cœpimus ambo
Torret aves, duplicat nostram quoque sedula vestem.
O quàm cara mihi, si tu non carior esses!
Sed ferus urget amor. mallem quæ dona paravit
Hæc debere tibi. Vel si quoque parva darentur,
Grande tamen donis pretium (scit quisquis amavit)
Donatrix faceres, & te mirarer in illis..
Inque voçem totâ ferrem tibi munera dextrâ.
Pastor ego? Pastor Phœbus fuit. & mea multis
Fama volat campis. Non ignorabilis hospes
(Pande fores Daphne) nec iners tua tecta subibo.
Ipse pedo possum quicquid potuere parentes,
Nunc dare signa gregi, nunc vulsas tollere glebas,
Et terrere lupos, & fossas jungere saltu.
Di melius, quàm me post longi turbinis orbem
Decipiat jussas fundâ lapis actus in oras.
Nec tibi jam tantùm placeas ô candida virgo;
Digna coli Daphne est, Corydon quoq; dignus amari.
Dicam equidem, vultúsque meos, & cærula novi
Lumina, rarus erit formam tibi pastor ad istam.
Quid tamen hęc surdas memorẽ male sanus ad aures?
Stat tibi (proh Superi) Corydonem perdere Daphne.
Ergo ferox, totiésque meis repetita camœnis,
Spernis adorantem? nec me mea culpa, nec error,
Sed vilem fecere preces? Da surgere in iras,

Da

Di versus mihi Phœbe truces, da digna rependam.
Audiat & justos ultrix Rhamnusia questus.
Quid loquor infelix? vitæ (ô pulcherrima) nostræ
Jus tibi fecit amor; jus est quodcunque libebit.
Nympha nihil peccas. Hujus peccastis alumni
Eximii Heroës, divûm genus. Unde severum
Fulmen iô? tanto cur me jam perditis ictu?
Quis mihi non vestrûm lætis prius omina verbis
Spémque dedit, magnos timidè cum fassus amores,
Hei mihi, dilectæ quæro servire puellæ?
Quisque mihi spondebat opem; Quam quisque dedistis
Spem mihi cur omnes (miserum!) cur tollitis omnes?
Ast ego magna quidẽ, sed non tamen improba, poscens,
Vota rependebam. Celimus quoque Numina votis.
Quin loquor & verbis? saltem sic conscia corda
Allevo? Non ullum vetat hæc solatia fatum.
Vota quidem; at votis etiam majora parabam.
Igneus Eoo qua se pater exerit axe,
Quáque facem condit nocturnis fessus in undis,
Vestrum fama tulit latè decus; omnia laudes
Implerunt vestræ; cœli quoque sydera pulsant.
Ille tamen periturus honos, ævóque senescet,
Cùm vos rapti oculis, & erunt sua regna futuris.
Sic alii micuere prius, quorum ardua virtus
Tandem passa situm est; & nomina rara supersunt.
Solis vita manet quibus indulsere Cicutæ
Pastorum insignes, quales mihi tradit Apollo.
Dixerat hæc Corydon, subito cum murmure cœli
Rupta dedit nubes lucentibus omina flammis.
Pura fuit mundi regio, qua surgere Phœbus
Suevit, & à lævâ dextrum sonuere volucres.
Ille salutavit præsentia numina Divûm,
Ille oculos frontémque manu detersit, & ingens
Spéque simul vultúque fuit; positísque querelis,
Nympha mea, ô dixit, Nymphæque Heroës alumni,
Parcite; vos fallax duros mihi fama ferebat;

Non eritis; Rubuit cœli plaga fausta siniſtri,
Et juſſit poſuiſſe metus: Mihi lactea Daphne
Cedet; & ô duros poſthac ne fingite vultus;
Veſter ero, credo Superis, cœlóque loquenti.
Vóſque ego dum terras aër, cœlum ambiet auras,
Et fines terris, & erunt ſua littora ponto,
Semper honoratos, ſemper poſt Numina primos
Et Jovis & Daphnes, precibúſque & thure vocabo.
Hæc Corydon, Daphnéſque ſibi ſpondebat amores;
Credulus anne nimis monſtrantibus omina divis?

DAPHNIS.

TExerat horrentes furuâ caligine vultus
Sol Pater, & toto ſqualebant ſydera cœlo.
Tityrus, & Corydon, lævas imitantia buxos
Ora manu nixi, flebant te maxime Daphni.
Daphni decus campi; diro quem vulnere raptum,
Non tantùm agricolæ, non gens paſtoria tantùm,
Sed flebant elementa palam, tellúſque, polúſque;
Et ſua concuſſæ vexabant brachia ſylvæ;
Triſtius & rancos voluebant æquora fluctus.
Illi inter lachrymas, abruptáque verba querelis,
Reddite, dicebant, nunc redite, ſydera, Daphnim.
Tytir. Vivimus? an nigro miſeri conceſſimus orco?
Quod ſcelus? unde iræ Superum? proh ſæva Sororum
Penſa, nec in tantos quondam ingenioſa furores!
Aſpice: non idem campis color, omnia marcent
Gramina, nec gelidis Boreas afflavit aboris.
Jam trepidæ pallent frondes, jam lurida meſſis
Tingitur, & nullum conſumpſit carmen ariſtas.
Arva ſibi deſunt; & nunc trahit omnia ſecum
Triſtis, & è luctu virtus cognoſcit alumnos.
Reddite nunc nobis, nunc reddite, ſydera, Daphnim.
Coryd. Tityre mitte pedum; pecoris non cura juvandi;

Non

Non jam lucis amor, nulli post talia risus.
Occidimus; parvóque simul mors horrida ferro
Pastoréque gregéque tulit. Jam Daphnide rapto
Marcet ager, mutúsque procul per devia terror
Sparsit inane pecus, facinus nescite futuri;
Penè facit fontes hæc tanta injuria Divos.
Reddite nunc nobis, nunc reddite, sydera, Daphnim.
Tityr. En modò lętus ager, nullo plus pondere gaudens,
Quàm sua cùm noster premeret vestigia Daphnis,
Daphnidis heu cæsi diro nunc vulnere sparsus
E non sponte rubens, quo mœsta piacula fonte
Ponere, queis sese possit lustrare sub undis?
Eluite, ô Superi, fusis miserabile nimbis
Crimen; & in toto si desunt nubila cœlo,
Reddite nunc, saltem, nunc reddite, sydera, Daphnim.
Coryd. O Divæ ô celeres nemoralia numina Nymphę,
Sueta choris Daphnin admittere, sueta petenti
Incautas monstrare feras, & ducere tela,
Spargite nunc crines laceros, nunc rumpite vittas,
Nusquam Daphnis adest, nusquam lætabile carmen.
Heu blandæ periere genæ, læta ora, nec illo
Deterius lumen pulsis quo Lucifer astris
Pandere septa monet, mandidósque revisere pastus.
Plangite ferali marcentia pectora more,
Plangite Sylvicolæ, medióque hæc addite planctu,
Reddite nunc nobis, nunc reddite, sydera, Daphnim.
Tityr. O Chaos ô ingens! pereunt discrimina rerum.
Omne venit terris sublato vindice crimen.
Nunc aries cornu, petulans nunc hœdus in herbis,
Debile de viridi latè pecus æquore pellit.
Quique boves cervice tument, queis robora fronti,
Septa feri rumpunt, & quæ pinguissima pastu
Arva placent, longâ circum insedere coronâ.
Astupet omnis ager, ducunt jejunia Dumæ.
O cohibete nefas, vel qui regat omnia rursus
Reddite nunc nobis, nunc reddite, sydera, Daphnim.

Coryd. Quanta per eversi tempestas culmina mundi
Miscuerat terras, orsus cum pascua nostra
Auspicibus divis quondam componere Daphnis!
Ut tunc Marte fero rapidas egisse per Orbem
Addecuit fundas, atque obvia sternere saxis!
Tityr. Quanta dedit victor pacatis ocia terris,
Cum rapidæ cessere feræ, lymphataque corda
Daphnidis ad versus miseros posuere furores!
Nec sua complevit magnâ modo pascua famâ.
Quisquis ad Arctoas hyemes, Phœbúmve cadentem,
Pastor oves egit, vel lætas rupe capellas,
Quem petit igne Nothus, radiis qui flavus Eois,
Daphnidis ad vires suspectáque robora pronus
Horruit, aut tantis captus virtutibus arsit.
Heu victor bello, sæuæ jacet hostia pacis.
Reddite nunc nobis, nunc reddite, sydera, Daphnim.
Coryd. Daphnida qualis erat nunc, Tytere concipe mente.
Cerne gravem baculo dextram, quem myrtea longum
Sylva dedit; cerne & meritis innexa coronis
Tempora; quercus erat, laurúsque, & mitis oliva.
Quà graditur læta arva nitent, & sibila ponit
Anguis, & omnigenis curuatur fœtibus arbor.
Cerne decus frontis, trepidósque ad singula Tauros
Verba, sed effusis pingues palearibus ire,
Ire & oves saturas, Saturnia regna redire;
Tityre nunc dices (lachrymæ tua verba sequentur)
Talis erat pastor Messenis Cynthius arvis.
Tityre tunc dices, nostra ille in commoda vixit;
Reddite nunc, dices, nunc reddite, sydera, Daphnim.
Tityr. Cerne magis fuso pallentia sanguine membra,
Et lapsos vultus, & livens pectore vulnus;
Tunc Corydon dices, heu nostra in funera Daphnis
Occidit; ille brevi sublatus ad astra dolore:
Sed faciens longos terris sua vulnera luctus.
Reddite nunc nobis, nunc reddite, sydera, Daphnim.

Coryd.

Coryd. Sit mitis, placétque Deos, ſint omina noſtri
Caſſa metus; mens tuta polo, terríſque perennis
Fama procul duret; corpúſque umbrámque tegenti
Sit leve pondus humo; ſint & de ſanguine flores.
Tityr. Semper & ad tumulum ſint triſtia ſacra piúmque
Agnen, Eleuſinos vincamus & ignibus ignes.
Coryd. Tityre pone metum, placavimus æthera luctu.
Ecce redit cœlum vibratis lætius aſtris.
Daphnis habet cœlum, Daphnis tenet aſtra, nitétque
Ipſe novum ſydus (numera modò ſydera) Daphnis.
Tityr. Daphnis habet terras; novus en regit omnia Daphnis
Ille quidem parvóque pedo, fundáque minore,
Creſcentíque manu; genius tamen omnia major
Implet, & ô quantos illi jam deſtinat annos!
Ite pecus lætum, conſuetáque carpite prata.
Ite gregum domini (nunc ô bona ſecula ſurgunt)
Ite per umbriferas (Daphnis regit omnia) ſylvas.
Ergo & vos Dryades, & vos quæ montibus altis
Erratis Nymphæ, longos jam ſolvite luctus:
Frangite jam molles riſus, jam fingite crinem;
Hic aget hic veſtras patrio de more choreas.

NOBILISSIMO COMITI SARUM, ROBERTO CECILIO, *Summo Ærarij, & Secretorum Regiorum Præfecto, &c.*

QUòd tua non fortes tentant præconia Muſæ,
Parce precor: cecinere Jovem. poſt talia credunt
Per cunctos fas ire Deos. (ô gloria noſtri
Orbis, & ad feros famâ venture Nepotes)
Sed vatem, Muſáſque fove; nam copia tanti
Nunc ô nunc operis, quanquam Diváſque, novémque,
Sollicitat;

Sollicitat; jam quæ ſumant exordia quærunt
Laudibus, extremis quæ pars aptiſſima plectris.
Seu novus Hyblæis cùm jam de vallibus omnes
Evocat annus opes, & ſe cultiſſima cingit
Floribus, atque hilares Natura reſumit amictus,
Emiſſæ cunctantur apes, qua ſidera parte,
Quid primum libare velint; nunc mollis Amellus,
Nunc violæ, parvas nunc audit Amaracus alas.
Si tamen Herois pulchros in imagine vultus,
Dum Muſæ luſtrántque tuos, relegúntque penates,
Si vidiſſe queant, cujus tu ſanguine cretus,
Qui famæ monſtravit iter, nec cedere curis
Edocuit, ſanctæque fidem præſtare tiaræ,
Hinc reor in juſtas ſument primordia laudes.
O quoties blando defixus in oſcula riſu
Te patrias demulſit amor, preſsitque ſenectæ
Pondere, nec vanæ fudit præſagia mentis,
Te fore quem coleret Virtus, cui cedere Pallas
Vellet, & attonitâ proles Cyllenia linguâ.
O quoties ſummis formare capacia rebus
Pectora, & ingentes regnorum evolvere caſus
Cùm voluit, tete majora in ſemina mentis
Creſcere, ſéque etiam ſtupuit jam poſſe doceri.
Nunc quicunque tuas tumulus circuntegat umbras,
Nunc audi, memorande Senex; ni nomine tanto
Obſtaret tua progenies, ut ſæcula prifca
Viciſti, longos poteras viciſſe nepotes.
Sed famam premit iſte tuam, ſeu ſydera pallent
Lucifero renovante diem, ſeu flumina pulchra,
Vel pulcher Tameſis, gemini vel cornua Rheni,
Vaneſcunt pelago, & ſecum ſua nomina mergunt.
Nec tibi de tantis nunc quicquam illuſtrius actis,
Quàm tantum hunc genuiſſe virum. Si credere fas eſt
Diverſas migrare animas, membríſque ſub unis,
Seu nemore Elyſio, meritos conſiſtere manes;
Te, Nato, cum mors triſtis tua fata peregit,

Inſediſſe

Insedisse putem; tunc addita robora menti,
Protinus, atque animum tanto crevisse sub æstu.
Sic ubi cæruleis non obluctatus Hydaspen
Excipit Indus aquis, surgit mirantibus arvis
Alveus. Ast illi properant confundere vires,
Atque auctas stringunt jam non duo flumina ripas.
At tu magnanimi proles que animúsque parentis,
O decus æquoreæ gentis, quam flava Britannum
Agmina, quem posito commendat Iërna tumultu,
Ne precor ô justas dubites agnoscere laudes,
Et paulùm gratare tibi. Non altior ullus
Consiliis animísque fuit. Si te illa tulissent
Secula, ab Oebalii Latium quibus arce Tarenti
Æacides bellóque ferox, atque arte premebat
Arduus; haud esset Cyneæ memorabile nomen.
Ausonium intrasses Româ plaudente Senatum
Mitis, & hinc Regi, Patribúsque hinc fœderis author.
Aut si te Phrygio Danaæ sub littore classes
Vidissent, Danaï tacuissent Nestora vates.
Nec te quæ summum vario temeraria nutu
Largitur fortuna locum, sed candida longè
Evexit virtus humanisque extulit Astris.
Ipse potens rerum, primo cui fata bonúsque
Jupiter, & melior tradit Fortuna Britannos,
Agnoscit, laudátque tuas, patriæque, sibíque
Gratatur dotes, & jam nihil invidet astris.
Hic tecum hic magnæ partitur pondera curæ,
Sanctáque sydereæ pandens penetralia mentis,
Tecum fata facit: seu consuluisse Tonantem
Credimus interdum stupefacti Oracula Phœbi.
Nec quo belligeros patrii maris unda Britannos
Alligat, & geminum discriminat obice mundum,
Hoc laudes, nomenque tuum, famámque decoram
Fas hæsisse fuit; quam non incerta carinæ
Ventorúmque fides peregrinis protinus oris
Detulit; ipsa procul Virtus ingentibus alis

Subnixam

Subnixam tumidi vexit per cærula Nerei.
Illa per occiduæ Tarteſſia littora gentis,
Per Rhodanum, Ligerímque volat, per plauſtra potentis
Naturæ, & gelidas immenſa eſt protinus Alpes.
Téque Orbis pars una colit, pars una veretur,
Mirantúrque omnes, nec te ſublimia tantùm
Pectora, vel celſi patientia lumina Solis,
Sed vulgus, rudibúſque puer tremebundus ab annis
Cognoſcit. Te fœminei per longa ſuſurri
Compita, te faciles narrant per rura coloni.
Jam nova jam cupidi vota invenere parentes,
Nutricúmque inſanus amor, cuníſque precantur
Quas toto preſſere ſinu, quas floribus augent,
Non Ithaci mentem, magnî non robur Achillis,
Tithoníve dies, ſed, parve, Cecillius oro
Sis, referunt, ſimilémque geras pulcherrime mentem.
O quoties primo cùm nondum Phœbus Eoo
Æquoreis abſceſſit aquis, jam turba clientum
Ante fores timidis laſſat tua limina votis?
Nec de plebe viri; ſed quos cultúſque decórque,
Natalésque volunt tumido conſurgere faſtu,
Et tantùm ceſſiſſe tibi. Tu fronte ſerenâ
Hos audis, iterúmque illos: tantúſque loquenti
Tam mitíſque decor, precibus ſive annuis illis,
Sive negas, te ſemper amant; æquúſque repulſi,
Admiſſique animus. nec te quanquam undique curæ
Circunſtant, vigiléſque jubent tranſmittere noctes,
Vidimus irato mutantem lumina vultu.
Par cunctis, ſempérque tibi. Sic omnia quamvis
In mare declives evolvunt flumina fluctus,
Hoc Nereum ſentire pudet nec major in altum
Exurgit, fluviíſque ſuâque capacior unda.
Nunc precor hos ſerves vultus, frontíſque benignæ
Dulce decus, cùm ſe tua noſter ad atria Phœbus
Siſtet, & ô teneris ſac ſit fiducia Muſis.

AD

AD ILLUSTREM FAMA AC GENERE VIRUM, GUILIELMUM BARCLAIUM, *Parentem dulciſſimum.*

MAgne parens, quem ne pigra quæcunque ſub Arcto
Aſtra nitent unâ credat ſtatione teneri
Mundus, ab æquoreis juſſit fortuna Britannis
Externo migrare ſolo, Lotharíſque ſub oris
Pulchra Caledoniæ conjungere ſtemmata famæ;
Nondum lucifero curſum temone peregit
Phœbus & omniferum coiit revolutus in annum,
Ex quo me patriis cingens mitiſſimus ulnis
Foviſti gremio, & quæ per ſuſpiria tranſit
Infudiſti animam, cùm me veneranda benigni
Principis ad patrios revocarent juſſa Britannos;
Et mihi jam longo te jam mihi ſæcula curſu
Invidiſſe puto. Quoties me dulcis imago
Sollicitat, blandóque trahit præcordia motu?
Quæ mihi cùm primâ tuleram de luce ſalutem
Verba dabas, quæ cùm poſt ſera cubilia ſolis
Sobria jungebat lætus convivia veſper,
Nunc redeunt, dulcíque animos carpúntque foveńtque
Alloquio, quamvis totis nos cærulus undis
Dividat, & ſurdis Nereus interſtrepat undis.
At tu, ſeu placidam curis ſubducere vitam,
Et canos mulcere juvat, feſſóque ſub ævo
Laude frui, atque actos lætus reminiſceris annos,
Seu placet aſſueto multùm decurrere campo,
Quà te ſancta Themis, quà te mens ardua raptum
Impulit, & meritæ monſtravit præmia famæ.
Nunc certè viréſque, parens, primámque ſenectam
Incuſas, quòd te patriis procul amovet oris
Debilis, & noſtras vetat heu inviſere terras;

Et

Et tibi quod terris, patriâ quod & amplius aurâ,
Jacobi negat ora tibi, plus ora cupita
Nempe tibi, quàm Sidonius læta astra videre
Optasset vates, trepidum cùm pulsa reliquit
Corpus, & in sanctam fugit lux abdita mentem.
Si tamen hic tumidum, si fors transmittere pontum
Te jubeat, rursúsque tuos lustrare Britannos,
Non vires, non te spatium pontíque solique
Terreat, atque omni spatio crudelius ævum.
O genitor, desiste queri; satis ipse supérque
Approbat ingenium, corpúsque excusat & annos.
Tu modò seu dulces humanis Andibus agros,
Seu colis Austrasiam, quà multo colle Mosella
Vitifer inserpens depressos egerit amnes,
Parce tibi; neu cassa labor jam membra fatiget
Amplius; & meritis indulge mitior annis.
Ipse velis natóque tuam servare senectam,
Consortíque tuæ, primis quam junxit ab annis
Fidus Hymen, qua te totios dixere beatum
Conjuge, qui tanto toties dixere marito
Austrasias inter felicem hanc esse puellas.
Si mores probitásque placent; si præmia virtus
Accipit, Inachiam facilis, Lædámque, Europámque,
O non invideas Superis, unámque quod ultro
Quod facis, æternis observes ignibus Annam.
Hæc, tua seu placidi sinuarunt carbasa venti,
Seu fremuere undæ, gemuitque exterrita pinus,
Fida comes semper lateri, collóque pependit
Dulce onus, atque animum nullo dejecta timore est.
Felices; ô quot patitur per sæcula vitam
Assyrius Phœnix, senii qui tædia tandem
Ignibus, & nimios nil territus exuit annos;
Tithono quod diva dedit, quæ lumine Solem
Advocat, aut vates Phœbum Cumæa poposcit,
Tot vobis dent sponte Deę, queis jura severi
Staminis, & nunquam vivaci membra senectâ

Exoptent

Exoptent laſſata mori. Si vivere certe eſt,
Dum nomen virtúſque manent, dum fama ſuperſtes,
Omnia perpetuâ vincetis ſæcula vitâ.
Tempus erit cùm vos prono veneratus honore
Amplectar, tangámque manus, atque oſcula figam.
Tunc ego de charis orſus narrare Britannis,
Tunc referam quid Rector agat; quàm fronte benignâ
Dignetur famulos, & miti temperet ore
Fortunam. quàm pulchra genas, quàm lumina ſancta
Majeſtate nitens noſtri matrona Tonantis;
Quàm teneat, & parvis dudum maturior annis,
Creſcat in attoniti Princeps miracula Mundi.

EPICEDION ILLUSTRIS PUELLULÆ, ISABELLÆ à BOSCHOIT, Conjugum, Ferdinandi à Boſchoit, & Annæ Mariæ à Zamudio, filiæ.

QUis mihi quis Divûm gemitus, & triſtia donet
Carmina? quis digno laxabit pectora queſtu?
O dolor! ô pietas, ô cruda exordia magnæ
Indolis, & nunquam lachrymis explebile fatum!
Non ego Cyrrhæas jam poſcere plectra Sorores,
Funere óſque auſim cantus; pro virgine parvâ
Nempe gemunt, poſitâque lyrâ turgentia plangunt
Pectora, nec vatem poſſunt audire vocatæ.
Nec te, cujus erat virgo hæc pulcherrima munus,
O Natura, vocem: nam ſi natura valeres,
Non peritura fuit quâ tu exultare ſolebas,
Quam monſtrare Jovi, aut comitem ſpondere Dianæ.
Tune Iſabella peris? tantæ mors ſemina mentis,
Spes tantas inſana rapit? Natalia nondum
Quinta tibi pleno circum Sol egerat orbe,
Cùm meritis tranſgreſſa dies, terríſque relictis

Juſſa

Juſſa ſubire polos, radiatis concolor aſtris,
Et nondum expertæ temerata cupidine vitæ.
Vera loquor; vel falſa ferunt inſomnia mentem?
Tu modò læta choris, tu ſimplicis ocia vitæ
Sancta trahens, ſempérque novo gratiſſima luſu
Heu tumulos Iſabella ſubis? Quæ fulmina tantâ
Mole cadunt? noſtris quis ſic Deus invidet oris?
Ah memini (quanquam eſt ingens meminiſſe bonorum
Quæ fugere dolor: totiéſque amittimus illa)
Ah memini cùm tu veſtigia læta movebas,
Imperio cithariæ, fidibúſque aſſucta canoris.
Tunc tibi de nudo nutabat vertice crinis,
Sponte decens, parvo collectus in aëra nodo,
Quà capitis ſtat ſummus apex. Hæc hæret imago,
Hæret adhuc, cùm blanda genas, cum colla parentum
Cingere vix gemino poſſes conata lacerto.
Hoſpita tum cunctis (nam nondum conſcia formæ)
Ultrò ibas, ultrò dextrámque & verba ferebas.
Ut decuit crebris agitantem jurgia verbis,
Promere nunc parváſque minas, iráſque calentes,
Nunc etiam trepido culpam defendere vultu!
Quid tibi cùm tedas, ô inſons, auſa paciſci,
Inque dies mutare tuas? æqualibus ingens
Jam votum pueris, aſt uni debita cœlo.
Sic ſocer ipſe fui, ſubito qui funere lapſam
Penè nurum lugens, nunc juſta hoc carmine ſolvo.
Quicquid erat, quo te ſtudiúmque ætáſque vocaret,
Miſta jocis, animíſque tuis, feſtóque lepori,
Semper erant, virgo, venturæ ſemina mentis,
Si ſinerent Parcæ, & rebus mors invida noſtris.
Sic ubi plena tument verno pomaria Sole,
Cùm vix primus honos ramis, cùm brachia tantùm
Summa virent, & opes nondum ſatis explicat arbor,
Frondibus in mediis per ſerta nitentia ſurgunt
Purpurei flores, obnoxia germina ventis;
Spéque ſimul formaque placent; ah ſi invidus Auſter
Flaverit,

Flaverit, exactâ pendet ſpes irrita formâ.
Vix tibi vix ætas puerilia vincula linguæ
Solverat, & notæ commercia jungere vocis,
Heſperiis, Galliſque, procax, flaviſque Britannis
Jam poteras, Rhenique feras cernentibus undas
Miſceri pelago, quà littora turbidus intrat.
Te multùm maternus Iber, te Belgica tellus
Jactavere ſuam; te læta Britannia parvam
Excipit, atque ſuis vult annumerare puellis;
Dum tuus à magno Legatus Principe noſtrum
Incolit hîc genitor Tameſin, gratiſſimus hoſpes.
Hîc finem tibi fata dabant, hîc exitus ævi
Externa regione fuit: nec tarda peregit
Mors facinus. quanquam ſæva eſt atque inſcia flecti,
Te tamen hæc lento timuit torquere flagello.
Lucifer is primùm qui te mœſtiſſimus ægram
Aſpexit, virgo, ſerâ cùm nocte rediret
Heſperiis invectus equis, tibi molle recidit
Stamen, & æthereas raptam deduxit ad oras;
Matris ab amplexu raptam, cui frigidus hauſit
Ora dolor, ſimiliſque tuæ, pulcherrima, morti.
Quæ facies tectis, quàm diſcors pectora luctus
Vertit, ubi heu ſenſim vacuos lethalis in artus
Venit hyems? nunc muta domus, nunc horrida fletum
Tollit, & alterno pietas accenditur æſtu.
Stat pater attonitus; ſeu quos Deus igne coruſco
Terruit, & ſubitis libavit fulminis alis.
Incertúſque ſui, lachrymas nunc ille ſevero
Ore tenet, nunc clade minor ſe cœtibus aufert,
Et gemitus ſoluit, ſecretá que verba profatur,
Quæ potuit dixiſſe pater, pater orbus, & ipſis
Conqueritur fatis, nec curant fata querentem.
At miſera interea genitrix ſua pectora plangit,
Et fruitur luctu, gnatæque inſtrata tepenti
Conſumit lachrymas, miſerandáque murmura voluit.
Heu quoties quotiéſque feros prohibere dolores

Aggreditur,

Aggreditur conjux? quoties prohibere parentem
Idem ardor flendi juſtíque inſania luctus
Frangit, & inceptis tollit conamina verbis?
Ut tamen hic primùm miſeris deſæviit ardor,
Et ſubiti poſuere æſtus, tunc pectora cœlo
Tollit uterque parens, indignatíque dolori
Exorant veniam: nec enim decreta ſeveri
Sollicitanda poli; ſanctum Deus æthere celſo
Quicquid agit, quæcunque ſolo dat fata trementi.
Tunc in ſe rediere ſimul, tunc corde recepto,
Conſenſere Deo. veluti cùm montibus altis
Præcipitem Boream ſubitus furor intulit orno,
Illa quidem primùm nutans, flectítque relictas
Improviſa comas, mox celſior æthera totum
Occupat, & vanis ſeſe objicit æmula ventis.
Sic planctus poſuere feros, ſic fortibus auſis
Pugnavere malo. ſed ſe meminere parentes
Interea, & juſtos gemitus natura reliquit.
Nox erat, & mœſtis lachrymæ fecere ſoporem;
Cùm tu flammigeris virgo jam celſior aſtris
Gaudebas invecta polo: jam ſpernere terras
Dulce tibi, atque artus vitâ meliore caducos.
Sed tamen & caros multùm miſerata parentes,
Protinus in terras & nota cubilia tendis.
Agnovere ſuam, luctatáque brachia ſomno
Amplexus petiere tuos; mox territa, cœptis
Abſtinuere ſuis. Stabat námque ardua fronti
Majeſtas Iſabella tuæ. Te mente pererrant,
Attoniti, timidéque petunt conjungere dextram;
Major eras; alio radiabant lumine vultus;
Et nitidi crines, & de cervice decorâ
Palla fluens, latè veſtigia tota tegebat.
Et tandem ſic viſa loqui: Deponite curam.
Vivo equidem: & quod vix ætas matura didiſſet
Ingenium mors læta dedit. puerilia liqui
Syderibus jungenda meis. nova membra, novóſque

Induimus

Induimus ſenſus: vile eſt quodcunque videtis.
Sunt alii Soles illic, nova ſemper in aſtris
Gaudia, divini nunquam faſtidia vultus.
Et niſi quòd noſtras tetigiſtis luctibus aures,
Jam terras oblita fui. Si filia vobis,
Si placui, noſtris læti gaudete triumphis.
Nempe dedit fatum pro raptis æthera terris.
Quid mihi tale dares, genitor, tuque optima mater?
Certè ego jam veſtro poteram de ſanguine gaudens
Egregios numerare patres, & nota per ævum
Nomina, Belgarum proceres, & gentis Iberæ
Stemmatibus complexa meis; me regia proles
Inter honoratas potuit legiſſe miniſtras,
(Et legiſſet enim) Generum matura dediſſem,
Forſitan & parvos uteto felice nepotes,
Atque alias mox inde nurus. Hæc gaudia vobis
Promiſit de me cupidis ſpes irrita votis
Fac parcas voluiſſe meas; quàm miſta ſeveris
Illa malis eſſent, quàm non ſincera voluptas!
Aſt ego ſecuris ſuperans mea ſydera votis,
Nunc alias tædas, alias meditabor honores,
Perpetuùm virgo, & nunquam marcente juventa,
Major ego ſceptris (abſit mihi livor) & ipſis
Major ego queis me famulam fortuna dediſſet.
Cœli tecta colo; paribus jam miſta puellis
Semper ero, ſemper magno vicina Tonanti,
Jam ſecura mei, jam veſtris anxia rebus.
Sic ait, inque polum liquido mox rapta volatu,
Amplexus non paſſa redit, poſtque omina tanta
Deſerit haud mœſtos & nox & cura parentes.

AD

AD LECTOREM benevolum.

Scias, Lector, quædam ex his quæ hîc dedi Poëmata, cum defunctis, tanquam cum adhuc viventibus loqui. Nam & Poëma in Illustrissimi Principis HENRICI *gratiam extruxi, cùm adhuc incolumis esset; etiam in illius summi viri, Comitis Sarum; & celeberrimi suavissimique mei parentis: Quos jam à nobis raptos, iniuriosum fuisset ab hac editione eximere; superstitiosi etiam animi, ea sic aptare quæ de spirantibus scripsi, ut possint mortuis convenire. Aliqui vel singulis penè editionibus obnoxia Poëmata erunt; Vel saltem post seculum (quod certè longævorum hominum vitam definit) intempestiva, si sermoni post eorum obitum cum quibus est habitus, durare non licet.*

Vale.

IOANNIS

IOANNIS BARCLAII POEMATVM LIBER II.

OXONII,
Impensis GUILIELMI WEBB.
Ann. Dom. M. DC. XXXVI.

IOANNIS

BARCLAII

POEMATVM

LIBRI II.

IOAN. BARCLAII POEMATVM LIBER SECUNDUS.

CORYDON AD AVTVMNVM: CVM *Phœbum ſuum eâ anni tempeſtate egrum videret.*

POmifero Autumno, cùm jam gravis annus in atras
Effuſus nubes languenti incumberet Orbi,
Pallerétque dies, & rector lucis Apollo,
Sollicitus Corydon pro tanto numine dixit.
Pomifer, emerito qui nunc Autumne ſub anno
Ultima ſollicitis promittis dona colonis;
Seu prope maturis aſpiras mitior uvis,
Seu ſpem ſeminibus venturi concipis anni,
Eraudi, quanquam non multo thure vocantem,
Sed tenui calamo: nam quid mage paſtor habebam?
Ecce meus triſti pallens in turbine Phœbus
Nube ſuâ noſtrum terret ni territus Orbem.
Non hoc bruma nefas (quamvis albentibus horrens
Illa comis, raucóque nihil placabilis Auſtro)
Non tumidi tantum conata audacia veris;
Aut quæ flammigeris æſtas ſiu crimina poſſet

Aſcripſiſſe feris, quarum hæc latratibus amens
Perfurit, illa ſuos rugitibus incitat ignes.
Solus in hoſce metus, in tanta piacula ſolus
Sufficis, ô aliis potius dignande trophæis.
Triſtis humus; triſti languentia ſydera cœlo;
Nec placidi fluctus. Quærunt nunc omnia Phœbum.
At tu illum thalamis, ægrique in liminis umbrâ,
O Autumne, tenes. qualem ſibi luna nitenti
Axe ſuperſtantem mirantibus eripit avis.
Cerne per attonitas pallentia lumina gentes,
Cerne graves vultus, atque ora jacentia luctu:
Sic populos vidiſſe juvat? Si deſit Apollo,
Qualis erit tellus? quæ ſub caligine tantâ
Heu virtus durare queat? Non tempora paci
Juſta bonæ; Marti deerunt ſua jura cruento.
Fas, leges, raptóſque deos nox obruet una.
Quódque omnes latè referat ſub Tartara gentes,
Unum funus erit. Redde ô ſanctiſſima Phœbi
Lumina, & hos etiam triſtis reverere timores.
Sic ô lenta tuas decerpant flamina veſtes,
Sylváque non primâ nudet ſua brachia brumâ.
Et tibi magna ferant certantes vota coloni.
Sæpe tuum cernas vino maduiſſe recenti
Limen, & haud flavâ tibi ſit minor ara Minervâ.
Quid facis? exaudis gemitus? an durus, & ipſe
Crimine fortè tumens, poſſis quòd tanta nocere,
Has ſpernis violente preces? Ii extinguere Phœbum,
Ne credas, non ſæve potes, ſed luce ſerenâ
Hunc monſtrare ſolo, paulúmve recondere nube,
Fata dedere tibi regnorum ea ſumma tuorum.
Quòd niſi jam mœſtis properas hunc reddere terris;
Fœdus aquâ rumpente vias, caligine longâ
Triſtis eas, ſed non depreſſis ſordibus uvis.
Nam neque muſta fluant, nec baccâ pingue ſolutâ
Luxuriet Pallas, ne quid tibi debeat annus.
Dum ſævit, mutátque preces in jurgia Paſtor;

Interea exierat madidi de turbine nimbi;
Splendidiúsque nitens, Autumni munere nullo,
Ipse suis Phœbus siccaverat æthera flammis.

Armilla, à Melidoriâ donata.

ARmillâ Melidoriæ revinxi,
Quam dono Melidoriæ tenebam,
Felicem nimis ô nimísque dextram.
Tum manum lepidam manámque charam
Tum dixi quoties, beatulámque,
Et quas blanditias solent amantes
Suæ dicere dexteræ, revinctam
Si quando simili vident coronâ?
Armillæ tamen hujus haud sciebam
Quas sensi modò sentióque vires.
Illâ sive meum ligo lacertum,
Cor est protinus in meo lacerto;
Seu longâ colo basiatione,
Et hærentibus imprimo labellis,
Jamjam cor fugit ad meum labellum,
Et mutum propè deserit labellum,
Et tandem puto deseret, fugámque
Illam morte luam. En meos per artus
Jam mors labitur, horridúmque frigus.
O nostri decus ô Puella secli,
Exaudi gemitum, ultimámque vocem.
Postquam ménsque animúsque de labello
Meo fugerit inscius redire,
Armillæque tuæ insidens vigebit
Ah plus pectore quam meo vigebat;
Armillam recipe hanc tuam, Puella,
Et dextrâ lepidam, aut sinu reconde.
Tunc felix animúsque córque tuum

Armillam quoque tunc puto relinquet,
Ut possit sinuive dexteræve
Tuæ protinus insidere, Virgo.
Sic quæ vita mihi antehac fuisti,
Sic jam mors eris, & sinu benigno
Præbebis tumulum, ultimámque sedem.
Hos mortis precio, ut mori juvabit!
Et vilis mihi sponte ni recedat
Vita, ac me sinat hanc obire mortem,
Ut nihil minus ah peribo vivus,
Et vitam tumulum hunc subire cogam!

DE MELIDORIA.

QUid tantum pereo (dii diæque.)
Quid tantum pereo, & valet, vigétque,
Propter quam pereo (ô Dii puella?
Cur valet Melidoria (ô Amores)
Et vestras quoque despicit sagittas,
Et quæ pectora sauciant sagittæ?
Si permittis hanc abire inultam,
O Dî, jam periistis, ô Amores,
Exemplo nocet hæc nimis nimisque.
Hæc est imperii ruina vestri.
Dicebam hæc Veneri, Cupidinique,
Et movi Venerem, Cupidinémque.
Sed vides mihi fasciâ ligari
Capta lumina, rettulit Cupido.
Incerto vaga spargo tela jactu:
Hinc errant juvenum improbæ catervæ;
Hinc amant temerè, aut amare nolunt.
Vis pectus feriam hoc tuæ puellæ,
Quod tu frangere non potes gemendo?
Tolle vincula; liberis ocellis
Ut certam modò destinem sagittam.

Sic

Sic dixit Puer, & manu parabam
Vinclum tollere candidis ocellis,
Ut certo queat imperare telo.
Cùm me mens bona, sedulúsque terror,
Incautam jubet abstinere dextram.
Nostran' ô operâ exuas tenebras,
O fallax Amor, ô procax puelle?
Certè si videas meam puellam,
Uret te tuus ignis, hanc & ures
Tibi, perfide, non mihi Cupido.

AD SERENISSIMUM DANIÆ REGEM CHRISTIANUM IV. *cùm ex Angliâ solveret.*

O Quem magnanimi tellus Mavortia Cimbri
Vix patriâ abreptum, vix littora nostra tenentem,
Jam revocat, Regémque simul, Patrémque fatetur,
Egregio devota metu; quid gaudia tantùm
Ut tollas, radiósque breves, heu parce dedisti?
Quò tantùm novus hospes abis? Jam concita classis
Nabit, & à nostrâ curres per cærula ripâ.
Sed si digna precor, novítque Britannia justos
Exorare deos, obstet tibi fluctus cunti;
Languida non ullis tumeant tua lentea ventis;
Puppis abire neget. Túque isti ô Maxime voto
Sponte fave, Princeps, auráque audire recusa,
Heu si vela vocant. Nam quid tibi spondeat Orbis
Dulcius? & nostris potior cur Cimbria terris?
Hîc tibi certè ingens Regum terrórque, decórque,
Hîc ingens tibi frater adest, hîc oscula jungit
Chara Soror, cupidúsque innectit brachia Princeps.
Quòd si tantus amor patriæ, si Cimbria nobis
Invidet, & numerat promissas anxia luces,

Hanc precor hanc toto cuspis Neptunia fundo
Vellat, & in nostri ducat confinia Ponti;
Aut tecum medios jam læta Britannia fluctus
Naviget, & Cimbris jungat sua littora campis.
Nec superant mea vota modum. Miracula mundo
Jamdudum majora datis, vos lumina rerum,
Vos gemini Reges, geminataque Solis imago.
Non tantum Occiduas Eois jungere terras,
Non tantum est mutare solum, solidósque recessus
Frangere, non certas cœlorum evertere leges,
Quàm Regum firmare fidem, quam jungere mentes,
Párque aliud vestri miranti ostendere mundo.

IN OBITUM
ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS,
DUCIS AURELIANENSIS,
Christianissimi Regis LUDOVICI XIII. *Fratris.*

O Modò parve puer, nunc sydus in æthere magnum,
O modò parve puer, cur te properantia fata
Eripiunt terris? melius quàm tollere dona,
Non donasse fuit. Piget ah sperâsse, pigétque
Lætitiæ, quam Parca dabat non omine recto,
Sed tantùm in nostros ut gauderet impia luctus.
Ceu jubar Eois nitidum cùm surgit ab undis,
Ceu cùm florigerâ pubescis germen in Hyblâ,
Si Boreas florem, Phœbum si præcipit imber,
Sic cadis, Alme Puer, sic expirantia tristi
Lumina nube tegi, qui non gemuistis Amores?
Progenies Regum, primis matura sub annis,
Ah nimium jam digna polo, mens insscia curæ,
Et nostris subducta malis, & funere felix,

Si

Si modò non audis illic lamenta tuorum.
Progenies Regum, numero jam lilia desunt
Terna suo. Cernis mœrenti purpura cultu
Ut fraterna gemit, nec se regit Inclyta Mater,
Et circum intussæ plangunt sua pectora turbæ?
Has tamen ô spernis lachrymas, nec ab æthere celso
In corpus remeâsse velis. Tune ergo serenus
Ut niteas cœlo, lachrymarum hîc tingimur imbre?
Quæ precer heu! quæ digna precer, populóq; gementi,
Lætitiæque tuæ? Ne mors rursùm audeat ulla
Hoc domui præstare tuæ, raptámque sub auras
Ferre polo, populíque pios confundere vultus.
En rata vota tuli; Tuus en per sæcula Frater
Noster erit, frustra Astra volens, frustra ardua cernens,
Et patriæ æternùm sceptris damnabitur oræ.

Ad Camellam.

O Tam rustica, tam Puella turpis,
Quàm te pellepidam, ô puella, credis,
O ô purpureo invenusta naso,
O cujus tumet hoc & hoc labellum.
Ut quæ per Libycam æstuant arenam,
Cur tot nomina vestium superbis
Aptas pectoribus? quid illa gemma
Quam rubris tremulam inseris capillis?
Sic fucum facere, ô Camella, credis?
Sic te sic tegis? ô Camella, peccas.
Quisquis te aspicit, improbámque pompam,
Di perdant, ait, horridam puellam,
Quæ istos polluit haud miserta cultus.

In Eandem.

MAnè dum thalamo egredi volebam,
Incautus ſuperum inferúmque limen,
Heu frontis tetigi, & pedis ruinâ.
Turbato mihi, primus inter omnes
Occurrit rigido Æthiops capillo.
Reſpexi miſer, horruíque cernens
Dextra fulgura, dextras volucres,
Et lævum nihil eſſe præter omen.
Nec fata modo ſimplicémque mortem
Dii portendere tot minis volebant,
Sed quiddam gravius ſeveriúſque,
Heu ſævi mihi! Nam Camella turpis,
Quam non vel puto videram per annum,
Occurrit mihi territo, procáxque
Poſt tot tempora baſium popoſcit.

De Auguſto.

QUæ domus Auguſto jucundi conſcia furti
Præbebat tacitæ ſedulitatis opem;
Dum cupidum laſciva tenet, dum gaudia jungit
Heu propè ferali non bene tuta thoro;
Nocte ſub horrenti quantos dedit uſta timores?
Stridulus ut fumos ignis in aſtra tulit?
Seu fortuna fuit, ſive hæc injuria fati;
Sive ignis nimio Regis ab igne fuit.
Jam propius propiúſque malis alabitur alis
Peſtis; eunt toto murmura ſæva domo.
Ille ignem, teſtémq; timens, fremitúſque propinquos,
Frigidus è thalamo membra calente rapit.
Talis ab Iliacis ſurrexit in arma favillis
Æneas, monitis, Hectoris umbra tuis.

Talis

Talis ad Ætnæos multùm ſtupet inſcius ignes
Advena, cùm ſubitis mons rubet ille focis.
Nec menti ſpatium, nec mens ſatis apta timori;
Quę rapere intrepidos ſuevit in arma gradus.
Sic confuſus erat, Danais ſeu navibus Ajax,
Cùm fugeret magnum territus igne Jovem.
Nec ſibi jam latum curat circumdare clavum,
Prætexto tumidos nec legit orbe ſinus.
Sed malè ſuccingit medium velamine corpus.
Sic properat nudam præcipitare fugam.
Dúmque ignes hominéſque fugit veſtigia cœnum
Opietas! fœdâ fortè fefellit aquâ.
Procidit in curvâ majeſtas tanta lacunâ,
Quique viam faceret non ibi lictor erat.
O Superi, dixit, cur me duo numina torquent?
Sit ſatis heu undis, vel ſatis igne premi.
Sit ſatis, invidiam tantæ heu quòd turbine flammæ
Lemniaci luimus Márſque Venúſque dei.

De Chloë, & Nape.

BEata quondam Principis luxu Nape,
Dum totus ardebat Napen;
Poſtquam juventus atque Princeps deſcrit,
Ah ah dolet lepidam Chloen
Illis calere Principis complexibus,
Opulenta carpentem oſcula.
It torva in iras, & placet ſævâ manu
Hanc vindicare pellicem
Ferro cruentas talis in bello ſolet
Aperire Amazon ſemitas.
Ut ergo abibat vecta quadrigis Chloës,
In hanc ferox Nape irruit;
Et ipſa totidem nempe ſublimis rotis;
Equeſtræ ſic fit prælium.

Effunde habenas, dixit aurigæ Nape,
Ah vix satis potens loqui.
Effunde habenas, & Chloës currum obrue.
I, bella felix incipe.
Auriga paret, & Chloën cursu petens
Committit axes axibus.
Consistite axes; si quis è vobis cadet,
Prægrande humo dabit malum.
Proh Rex Cupido! quis fuit vultus Napes
Chloën videntis? quis Chloës,
Ictum trementis quem facit currus Napes?
Quis illa pictor finxerit?
Arguta verba non diu tulit furor
Ad arma prosiliunt sua.
Jam scissa sparsis ora livent unguibus,
Jam tunsa fervent pectora.
Scrutantur oculos, atque suggestum comæ
Alterna rabies destruit.
Hinc se flagellis prorsus aurigæ terunt;
Hinc se ministræ vellicant.
Hæc paria Romæ nullus ædilis dedit,
Quæ dat Venus Alexandriæ.
O ô severis natus auspiciis dies!
O ô cruentum prælium,
Ex quo his miselis fœminis superfuit
Nihil pudici sanguinis!

Ad Phœbum.

DUm patriam repeto, Phœbi dum tecta relinquo,
Tecta per auratos ambitiosa gradus.
Quid facio demens? patriâ meliore carebo.
Nunc ego fallaces Tantalus inter aquas.
Exul & in patriâ, patris in complexibus orbus,
Heu mihi lætitiæ tristia verba meæ!

Tu

Tu tamen ô facias, ô qui potes omnia, Phœbe,
Spes mihi longinquas leniat apta moras.
Friget ut hæc æstas te pallida Phœbe remoto;
Proxima sic caleat sydere bruma tuo.

Ad Megadorum.

MEgadore felix, ô tui sæcli decus;
O parce si quod sponte consilium fero.
Audemus omnes sapere, vulgus curiam
Intravit omne, parce saltem sæculo.
Megadore felix; Conjugem gnato tuo,
Tuæque nurui quòd virum jungis sat est.
Quid cum trecentis hi trecenti conjuges
Tuum puellis obserant palatium?
Cur facis in unis nuptiis tot nuptias?
Graténe quæris? certius donum para.
Ambigua sors est. fortè peruorsum cadet.
An vota poscis? vota plus justo dabunt.
(O absit omen: fata nec ratum sinent)
Pars media felix ut sit horum conjugum,
Istas trecenti devovebunt nuptias.

In Camellam.

SI credis mihi, non, Camella, vives.
Nam quid te juvat his, Camella, terris?
O si vel laqueo horridam placebit
Vitam ponere, vel placebit undis
Corpus perdere non priùs lavatum!
Quos cultus tibi posteri rependent!
Ut es funere tunc futura felix!
Ceu Phœbe dea perfidi veneni
Multùm Thessalio invocatur agro,

Ceu

Ceu furtum sibi, seu procax libido
Finxit Numina, præsidésque divas;
Sic templum tibi, sic struentur aræ,
Sic eris dea turpium, Camella.

In Eandem.

HÆc est hæc species meæ Camellæ,
In latum gravibus torosa membris
Orbem panditur, eminénsque cervix
Crasso tubere deprimit ferentem.
Est corpus breve; ne putes nigellum;
Nam viret magis is color, nec impar
Baccis Palladiæ arboris vetustis.
Lumen purpureum, aureique dentes;
Labra pinguia, pinguiórque mens est.
Nec est cortice levior puella.
Di concedite nil nimis petenti,
Ut qui me oderit hic amet Camellam.

Epistola leporum Neumarchiensium ad REGEM.

HOs leporum fugitiva cohors, Neumarchia rura
Qui colimus nullis nemorum secreta tenebris,
Hos tibi Rex versus nos scribimus. accipe lenis;
Accipe quo vultu canibus gratantia verba
Dicis, & heu nostrâ mulces à cæde calentes.
Quod nostrum innumeris decrevit mortibus agmen
Te coram, & multo pinguescunt sanguine terræ,
Non iras hoc posse canum, ventosáque crura,
Rostráque captatis credas latrantia ventis.
Sunt campi, spatiúmque fugæ, celeréque timores;
Et semper mortísque pavor, vitæque cupido.

Sed

Sed fugisse piget; dulce hæc in funera nasci,
O Princeps, avidósque canum per viscera morsus
Ad nutus subjisse tuos. Te Maxime Regum,
Te seu prima domus surgentis ad æthera lucis
Senserit, occidui seu sera cubilia Phœbi,
Submittent tibi cuncta caput te cuncta rogabunt;
Cuncta Caledonio concedet purpura ferro.
Ergo ille ô cujus magni sub pondere nutus
Inferior Natura pavet, trepidique Tyranni,
Ille etiam nostras dignatur visere cædes!
O Superi, jam fata placent, nec nobile lethum
Effugisse juvat. Jam sic peregrina ferarum
Turba perire velit, gregibúsque accedere nostris:
Quaque per abrupti potis est divortia ponti,
Littus in hoc obliqua tuens, ô Insula, clamat,
O felix, quâ sunt tanti sub Numine Regis
Tum dignæ cecidisse feræ, tum vivere gentes.

Ad Meliodoriam.

OMni durior, ô puella, saxo,
Omni surdior, ô puella, ponto,
Quam dudum timet æmulus Cupido,
Ingemens miser has bonas sagittas,
Quas de laurigera exigit pharetrâ,
Attonsas lateris tui severâ
Heu heu duritie obstupere, virgo;
Quid te fingere pergis innocentem,
Quæ cædis titulum indies recentis
Quæris improba? quid ferox triumphas?
Quid fastidia tam cruenta promis?
Hos hæc laurea non decet capillos.
Heu quot per Stygias vagantur umbras
Præcoces animæ, tuâmque narrant
Illis Judicibus severitatem,

Quos

Quos dicunt hominum, puellarúmque,
Subter Tartara vindicare fastus.
Et fors hi quoque Judices amârunt,
Et possunt misereri, amantiúmque
Ire funera sic inulta nolent.
Fac sis aspice, si cupis severa
Illa numina mitigare, virgo.
Vides me Stygia in secreta ferri
Magno vulnere quod mihi dedisti.
Nunc mî blandior, aut minus severa;
Fac solatia fac precor cadenti;
Ut jam cùm moriar tuis resistam
Procis qui periere, dîsque dicam
Illis Judicibus severitatis,
Omni dulcior est puella melle,
Omni sydere blandior puella,
Omni durior, obstinatiórque,
Quæ quondam fuit heu puella saxo.

De Eadem.

DIcebam Veneri, Ecquid hic tenellus
Circum lumina fasciam revinxit?
Ecquid, Cypria, tam bonos ocellos
Hoc velo tuus obruit Cupido?
Cùm tristis Dea sic referre cœpit.
Rex quondam fuit hic meus Cupido.
Hunc Regem decor, hunc nitens venustas;
Lepos, deliciæque, gratiæque,
Hunc omnis coluit juventa Regem.
Tum frontem nivea ambiit tiara,
Nec dextræ sua sceptra defuissent,
Ni dextrâ rapidum obtineret arcum.
Sic dum luxuriat decorus ille,
Terras, sydera, territans regénsque,

Ah fors incidit in tuam puellam.
Illic subsitit, invidósque vultus
Aut irâ miser, aut pavore tinxit.
Heu vinci prius inscium puellum!
Nam cùm se domitum imparémque sensit,
Et vultus nimis intuens decoros,
Damnavit sua labra purpurámque,
Adeste ô tenebræ, ô adeste, dixit;
Sic sic mergite jam meum pudorem.
Saltem ne mihi quis malus videnti
Insultet deus, aut puella victrix.
Sic dicens, niveâ improbus tiarâ
Velat lumina, turgidósque luctus.

Ostenda *capta.*

SCena ferox pugnæ, longi domus ardua belli,
Dúmque diu incerti fervent divortia cœli,
Lis insana deûm, non primi fulminis alis
Tandem fessa premor. questus iramque siniſtri
Ponite cœlicolæ; captivo in pulvere verso
Relliquias tristes. necdum audet credere victor.
Qui tamen, heu, populi, qui non sensere cadentem?
Collegi quacunque viros, & funera sparsi.
Defuit incolumi nomen. nunc addita magnis
Urbibus, & Phrygiæ miserabilis æmula famæ
Clade meâ vivam. Non est non vivere tanti.
Sat fatis pugnâsse meis: placet ire sub umbras,
Dum jam terra deest direpta furentibus undis,
Aggeribúsve meis, tumulísve insumpta meorum.
Nec queror exitium, sic ô feliciter icta
Quòd potui texisse viros. Non gloria deerit
Huic tumulo, & sese multi superesse querentur.

Ostenda,

Oſtenda, *in M. Germanum, qui eam incendito & maximè obſcuro verſu tuxerat.*

CUm me ſydera, fata, flamma, ferrum,
Uno vulnere prorſus occupaſſent,
Dicebam, nil amplius timendum eſt.
Non eſt vulneribus locus ſecundis.
Sed proh ſydera! proh ferax malignæ
Sortis ingenium in meas ruinas!
Reſtabat mihi maximum malorum;
Reſtabat (miſerum!) malus Poëta.

Cùm idem reſpondiſſet, ſub perſona Oſtendæ *querentis ne ſibi quidem planctum per nos liberum eſſe, hanc Elegiam extorſit.*

QUis prohibet planctum? tibi fas, Oſtenda, dolere.
Fas tibi funereos ore ciere modos.
Non deerit tibi mortis honos, non gloria buſto;
Perge libens; laceras nunc quoque ſcinde comas.
Scinde comas, & juſta tuis ſuſpiria mitte
Manibus, heu tantis inferiora malis!
Et quamvis ſileas, totus tamen aggemit Orbis,
Siccáque vix etiam lumina ſervat Iber.
Mox etiam Heroas facies, nova fabula mundo;
Fecit ut Ogygius Pergameúſque labor.
Quæque tuam ſero lux obruet ultima famam,
Hæc reor humanis ultima rebus erit.
Queis ſubſidet humus, quos ingens hauriet æquor,
Clamabunt ſimili ſe tibi clade premi.
Cúmque ferox populos exuret Seirius, illo
Oſtendam, dicent, perculit igne lues.
Nec vetui fletum; ne perge inceſſere crimen.
Mitior in noſtro pectore ſenſus ineſt.

Nil

Nil ego queſtus eram, nil quòd ſub clade recenti,
Tu veteres mavis ambitioſa ſonos,
Queis Turnum Euander devovit, & horrida Troas,
Cùm jugulum vittis fregit Amata ſuis.
Hæc fera cùm duris perierunt ſecula verbis.
Quid facis? extincti quid tibi moris ineſt?
Fallor ego? an moriens umbrarum affaeſcere linguæ
Incipis, & Stygii diſcere verba fori?

De Melidoria.

NOn eſt mihi res moleſta, non eſt.
Quòd Phœbus ſimul, & ſimul Poëtæ,
Tentant omnibus expedire plectris,
Quo vultu dea, quàm decora vēnit
Monte ſub Phrygio, æmuláſque divas
Vicit Cypria; vel Diana qualis
Seſe fontibus abluit beatis.
Quis pulchræ nitor oſculúmque divæ,
Cùm ponit galeam, ægidémque Pallas,
Et ſe mitibus addit una Muſis.
Quas Aurora comas, comáſque Juno
Effingit tepido erudita ferro;
Dum quærit Cæphalo hæc probare formam,
Suſpectum colit illa dum maritum.
Illis amplius ampliúſque rebus,
O Di, nunc mihi nunc opus relictum eſt,
Intactum omnibus, ô Dii, Poëtis;
Ut lumen Dominæ meæ, oſculúmque,
Tentem audacibus expedire plectris.
Hæc dum proloquor audiit Cupido,
Et riſit petulans, tenelluláſque
Ad plauſum quoque convocavit alas:
Et ſimplex nimis ô nimíſque, dixit,
Intactum omnibus hoc putas Poëtis,

Quod

Quod non de numero hic vel ille vatum,
Sed Phœbus simul, & simul Poëtæ,
Tentant omnibus expedire plectris?
Namque concinere aut meæ parentis
Vultus, queis Phryga Judicem tenebat,
Aut qualis liquido it Diana fonte.
Quàm pulchræ nitet osculum Minervæ,
Cùm se mitibus addit una Musis;
Quas Aurora comas, comásque Juno
Effingit tepido erudita ferro;
Non est non Dominæ hoc tuæ lepores,
Non est hoc Dominæ expedire formam?

Tumulus præclaræ virginis T. M.

SIste, Viator, iter; cernis lachrymabile bustum.
Aggeme: sic nullis causa doloris eas.
Virgo quater quinos nondum superaverat annos,
Quam tegit hîc molli pulvere tristis humus.
Ac mors hanc, animis metita capacibus annos,
At mors hanc nimium cæca putavit anum.
Dum socias inter castis vacat illa choreis,
Exultantem animam febris iniqua tulit.
Quid flet uterque parens, & quid nos flemus amici?
Anne quòd æthereo pulchrius axe valet?
Forsitan & fatum, promissáque fupera cernens,
Cygnæo voluit funere læta mori.

Vota Modesta.

DA mihi thura puer, tu vates concipe verba.
Nam facimus patriis hæc pia sacra diis.
Este procul, si ques sontis mala crimina vitæ,
Aut occulta jubent vota timere deos.

Vota

Vota fero coram; rata vos hæc esse jubete,
Cælicolæ, si non invidiosa peto.
Magna precum pars est, stem vestras purus ad aras.
Sit mihi præcipuus vos coluisse labor.
Hoc mihi sit sanctum quicquid coluere parentes,
Et damnare suos mens mea nolit avos.
Anxius haud quæram cur terris sordida virtus,
Et sceleri pretium, nec tonet igne polus.
Non me sollicitet tantæ sapientia molis,
Nil facit ad mentem cura superba piam.
Sit pacata domus; felix cum conjuge proles;
Nec superent census pignora chara meos.
Nullus amicitiæ divino nomine fallat;
Nullus amicitiam per sua damna luat.
Ocia non judex, non tollat turbidus hospes;
Ocia Castaliis quàm benè danda choris!
Non me divitibus mentiri cogat egestas,
Laudibus & mistas inseruisse preces.
Sint somni faciles, quæ nunquam fœnora rumpant:
Fida cohors longos non sinat esse dies.
Sint hilares mensæ; nulli sine conjuge risus.
O Dî! sed me hominem sim tamen esse memor.
Ne cupiam, timeámve mori, sint gaudia semper
Mista malis; sed non hæc mala longa nimis.
Sit senium felix; quod cùm fata ultima solvent,
Fama meæ restet non violata Lyræ.
En satis est, placui Superis; sic flamma refulsit,
Et crepuit puris laurus adusta focis.

GENIUS NOVÆ BASILICÆ AD VENALIA MERcimonia extructæ LONDINI.

SUm recens deus ædium recentum,
Et natum modò Numen, ô viator,

Quod

Quod natas modo porticus tuerer.
Ergo fraus vetus, & vetus Laverna,
Et tu fronte puer, vetus Cupido,
Qui merces malus inter æstimatas,
Vendentes etiam æstimas puellas,
Hinc absistite, dum recente curâ
Horum, qui posuere me, domúmque
Sacram Mercurio, integræque menti,
Pudentem bonus ordior juventam.
Fors cùm sæcula deinde multa, saxis
Istis, mîque alios dabunt colores,
Corrumpar quoque fraudibus vetustis;
Paréque ingenio & pares senectâ,
Vos in hospita tecta tunc vocabo.

In Camellam.

GAudete ô Superi dii diæque,
Gaudete ô medioximique & imi,
Et quotquot faciunt deos Poëtæ;
Et tu præcipuè beata Clio,
Tuo Numine protegens Poëtas.
Nunc irata mihi est ferox Camellâ,
Jam non dat mihi dexteram Camella,
Jam non oscula, spiritúmque turpem.
Ecquid commodius, venustiúsque,
Ante incommoda fecerat puella?
Quod si numinibus Camella vestris
Irasci volet, ô dii deæque,
Nec altaribus aut avara thura,
Aut fœdas dare basiationes;
Tunc gaudebitis, ô dii deæque,
Tunc altaria tunc magis placebunt,
Tunc vestras magis incoletis aras.
Tunc vox hæc erit omnium deorum,

Nihil

Nihil commodius venustiúsque
Antè incommoda fecerat puella.

Ad Camella Matrem.

O Formâ meliore quàm Camellæ
Matrem oportuit, ô misella mater,
Unde ô unde habet hunc Camella nasum,
Frontem, pectora, dexteram, capillos?
Cùm de te, nihil hæc gerat Camella,
Et vultu propè te neget parentem,
Cùm sis pulchra, nitens, lepore plena,
Si potes meminisse, dic precanti,
Quis fœdus genuit pater Camellam?

AD PRÆSIDES IMBRIUM Deos, cùm sub vere, diurnis Solibus & nocturno frigore, sicca arva urerentur.

PRi, per obliquos sese cingentis Olympi
Insignis radios, túque ô quæ nubibus atris
Cùm placet horrisonum Juno quatis ardua cœlum,
Dicite, consuetis ô quæ nunc ocia nimbis?
Auster ubi, Zephyrúsque leves qui torqueat auras
Stridulus atque herbas jam mulceat imbre recentes?
Aret humus, sterilísque necat surgentia Phœbus
Gramina; tum pigro lucentes frigore noctes.
Siqua dies parcit, Bacchum, sata, pabula, tollunt.
Proh Superi! Scythiæne simul, Libyæque labores
In nostram immani fato concurrere gentem?
Sæpe tamen longo crispatæ vellere nubes
Huc illuc coëunt, & fulmen ab æthere lucet.
Radit hirundo solum, multu n de flumine piscis
Micat atque alias saltu prænunciat undas.

O pietas! dúmque ora siti flagrantia tellus
Pandit, & optatos miseri speravimus imbres;
Ecce ferox Boreas Scythico de limine cœlum
Verrit, & heu nostras toto bibit ore pruinas.
Sic sitit inter aquas, refugâ sic pendet ab umbrâ
Tantalus, & vacuos eludit in aëre morsus.
Interea attonitis ingens mortalibus horror,
Et non una lues; Nunc venis lividus ignis
Æstuat, hîc cœco pulsantur tempora motu.
Illic rara quies; illic marcentia languent
Pectora, & ignavo stipantur lumina somno.
Quòd si nunc hominum vilis si cura videtur,
O superi, vestris at saltem parcite Nymphis.
Quâ recubent non herba viret, quo pectora lassæ
Fonte lavent, nullus solito se gurgite tollit.
Cur Nymphas, hominésq; placet, pecudésque, sub unis
Perdere vulneribus, rerúmque evertere leges?
Quin magis ô nostris (humentia Numina) votis
Annuite; ingenti statuent altaria cultu
Agricolæ, Bacchúmque dabunt, Oleámque Minervæ,
Et quicquid vestris redimet sibi nubibus annus.
Vos modò pallentem spissis obnubite Phœbum
Nubibus, & mitis ventis cessantibus imber
Pascat agros; tepidæ sudent per gramina noctes
Rore bono, quem non gelidis astrinxerit Eurus
Orbibus, aut Geticis Boreas iratus ab antris.
Ne tamen (ô Superi) nimio ne munere nostram
Obruat Auster humum, néve isthæc jurgia Phœbus
Audiat, in madidi revocandus nubila cœli.

BRITANNIA ANTEA IN ANGLIAM ET SCOTIAM divisa, nunc sub uno Augustissimi Regis Jacobi imperio composita.

TErrarum domitrix, tumidi Regina profundi,
Quas ego Marte potens, & magnæ conscia mentis,
Quas potui metuisse vices, quæ bella, deósve?
Quis sceptris armísve modus? si tota, nec exors
Ipsa mei crudas agitassem in prælia vires?
Egissem sub jura ferox, Sol quicquid Eous,
Et serus mediúsque videt; sed vulnere dito
Fata meos partita sinus, secuere cruenta
Viscera, méque odiis in me erexere nefandis.
Et geminum nomen, totidémque heu sceptra dedere.
Tunc quoties exanguis ego, cùm rupta paterent
Pectora, cùm nostros iret cruor ater in artus,
Quem propriæ fudere manus, ue posse petiré.
Tunc cupii petiíque amens? dudúmque perissem?
Sed mortem vetuere dii. Nunc ponite curam,
O Superi; redeunt concordi viscera motu;
Nunc simplex, nunc una vocor. Vix ulla cicatrix,
Arguerit vulnus. Sic Rex sic omnia curans,
Vix morbi meminisse sinit. Sub Numine tanto
Ut valeam, doluisse juvat. Sub Numine tanto
Orbis ero, & reliquus vix ô vix Insula Mundus.

Ad Angelum Chariam, cùm ex pedis sui dolore imbres constanter augurarentur.

QUid hoc, ô Charia, ô decus Sororum
Quæ montis nemora incolunt bicornis,
O sacri decus arbitérque juris?
Dies auspicio pedum tuorum

Lætos currere, nubibúsque condi,
Et nigrâ faciem impedire pallâ?
Ores Theſſalico amplior veneno,
Quòd petes modico pedis dolore
Cælo protinùs imperare nubes!
Ah non audiat hoc ſuperba Juno,
Cui jus & Boreæ, & tepentis Auſtri.
Ferret in ſua regna te venire?
Quin illam invidiam amove, pedíque
Eſſe deſine credulus dolenti.
Aut hunc jam ſuperi dii de æque,
Hunc per quem pluit, improbum, tenacem,
Hunc ſalvo pede perduint dolorem.

Pugna Gallorum Gallinaceorum, cui Rex interfuit.

BEllum, ô Pierides, referte bellum,
Pugnacis nimis & nimis volucris,
Quæ cantu ſolet advocare lucem,
Lucem purpuream; at vagos Leones,
Et vagos quoque territare manes.
Sic per Caſtalium excubent cacumen,
Et vos cantibus excitent ſonoris,
De cognomine gente ſi quis audax
Templa in Delphica rurſus arma tollat.
Eſt parvis locus editus columnis,
Ductus artifici manu in capacem
Et certaminis & cruoris orbem;
Sævis area bellicoſa gallis.
Non illic bibulam ingerunt arenam,
Quæ tot vulnera ſanguinémque celet.
Flava ſtramina, textilíque nodo
Arcta, huic aptius intulere campo,
Qui veſtigia nec profunda tardet,

Nec cursus malè fallat incitatos.
Circum (nam populi hîc graves locantur)
Ascendunt gradibus theatra curuis.
Quò postquam vario corona discors
Consedit studio, & diis vocatis
Ritè quisque suæ est avi precatus,
Galli de geminâ eruti latebrâ,
Cum luce horridulum intuentur hostem.
Scires ex habitu diu eruditos
Athletas solito introire campo.
Nam cristæ decus, & genas rubentes,
Doctà forcipe perdere cauti;
Ne quà figere rostra possit hostis,
Et prædam nimio obtinere morsu.
Falcatæ quoque nulla pompa caudæ
Ne certamine rupta sub calenti
Sit fallax mora cruribus citatis.
Ut cultus fuit ille militaris!
Vix permensi oculo æmulum viciſſim,
Sese in prælia concitata librant,
Et collum quatiunt, levánsque plumas,
Ceu jubas Leo cùm quatit minantes.
Putes hæc odio hæc agi vetusto,
Et condicta avibus jam adesse bella.
Hinc illinc furor, & brevi volatu
Primùm pectora turbidi lacessunt;
Obsessos aries ut ille muros
Tentat, machina quem secreta ducit.
Postquam pectora sic retusa crebris
Fregere ictibus (ô genus virile!)
Tandem spiritus ægrior fatigat
Obnixos animo artubúsque totis,
Et captant vacuo aërem palato.
Sed superbia pertinax calentum
Lassari negat, ac rotante giro
Quærit vulneribus locum inserendis.

O ô ingenium ferocitatis!
Nunc brevi properant adire saltu,
Et doctâ velut arte nunc recedunt;
Quærunt lumina, vellicánteque sævi,
Pugnantes etiam igneis ocellis.
Tantâ fas generositate credi
In magnum Æacida Hectorem fuisse:
Aut dum sydera devovent Gigantes,
Aut dum sydera Jupiter tuetur,
Acri fulmine dissipans Gigantes.
Nec dolis caret hæc superba virtus.
Nunc hic nunc fregit ille persequentem;
Et quisquis fugit, hic remittit alas
Quæis vestigia jam caduca vertit.
Cùm sic cùm domitum putes, repente
Idem viribus ingruit refectis,
Et rursum fugit. Alter haud moratus
Fortunæ imperium, aufugit vicissim.
Sic tu Martie feceras Horati,
Fata Romula cum manu gerenti,
Ceu vero fugeres pavore plenus,
Instaret miseræ ille miles Albæ,
Quem tu mox vario horridus recursu
Straviste, patriæ ah suæ ruinam.
Dii mortalia membra cur dedistis
Tantis spiritibus? superstes illis
Jam non vox erat, aut color, sed una
Mens tantùm ardua, cùm ultimo furentes
Miscentur coitu ô decora fata!
Sic sic impliciti in suo simúlque
Hostili benè coruunt cruore.
Dum jacent, & hiant, & ora jactant,
Fecere ambiguum, memorne pugnæ
Hic ardor superesset, an sub ipso
Fato pectora lassa palpitarent.
Illis viribus, aut ferocitate,

Certatum

Certatum prius â pari voluctum,
Non rerum monumenta, non vetustæ
Famæ credulitas, nec ipsa vani
Unquam audacia retulit Poëtæ.
Nec fors has temerè excitavit iras.
Sed pugnæ precium ut fuit decoræ!
Ut gallis fuit ardor ille justus!
Ut mors nobilis illa! cùm viderent,
Te, Britannice, te suas remisso
Paulùm Numine visitare pugnas.
Seu forent tibi victimæ calentes,
Seu spectacula bellici tumultus,
(Regum maxime) senserant volucres,
Se digno nimium interire letho.

Imago Aloysia.

PInge meos (dixi) Pictor fidissime vultus;
Pinge. Feret longos ista tabella dies.
Paruit his Pictor, digestísque ordine conchis,
Ergo meam verbis duc, ait ille, manum.
Primùm, inquam, qui me capiet locus; orbe pudico
Sit similis templis, liminibúsve meis.
Non mihi plebeio species sit vilis amictu,
Non stola sit luxu conspicienda suo.
Sed faciles cultus, & quos velit esse maritus.
Præcipuè falsus non tegat ora color.
Nam nec Arabs nobis, nec mittit Iberia vultum.
Nec sit adoptivas nec mea dextra comas.
Sit mihi vir juxtà, quem toto lumine figam;
Lumine, quod varium non sinat esse pudor.
Sit mihi jurantis facies, non ulla dearum
Connubia his nostris anteferenda thoris.
Nec fiet ingrato qualis marcescit amore
Frons mihi, sed pari qualis amore nitet.

Adde quoque & Florę ſignum, ſignúmque Minervæ
Artificis; Sunt hæc Numina magna mihi.
Denique pinge lares, fac parvos ludere natos.
Hæreat hic dextræ, pendeat ille ſinu
Has ubi reddideris formas, ne nomina pone,
Ut quondam, faceret cùm rude pictor opus.
Sit ſatis hos verſus ſub imagine ſcribere noſtrâ.
Hæc ſunt hæc animi pignora vera mei.
Nulla maritarum plus me dilecta marito;
Plúſque ſuum coluit nulla marita virum.

IN CONSPIRATIONEM ANGLICANAM.

O Scelus! O veterum proles veſana Gigantum
Jámne Juvat bellare Diis? jam turbine diro
Jam revocare chaos? patriæque indicere mortem?
Secula tot, ſtirpéſque Deum, patrúmque labores
Unâ cæde rapi? Furiæque Erebúſque negarent
Hoc tantum dictare nefas. Exhorruit æther
Et fremuêre Dii, ſtupuítque exteritus orbis.
Regem etiam vis illa petat quo ſydere mundus
Purior, & noſtras melior lux aſpicit oras?
Hunc Regem vis illa petat, quem *Marte* ſecundo
Nunc iterum tegit iſta dies! Quid perfida tela
Abdere, quid tanto componere ſulphure fulmen,
Quid juvat occultæ tot ſemina condere flammæ?
Ah miſeri prohibete minas. Sua numina novit
Fulmen, & in magnum neſcit peccare *Tonantem*.
Ergone conſilium Civéſque, Hominéſque Britanni,
O dolor! hoc ineant? lacerúmve per æthera *Regem*
Spargere, quem melius cœlo ferat ardua virtus?
Purpureóſne Patres alio nunc tingitis oſtro,
Sanguine, cæde, rogis? cunctos diſcrimine nullo

Tollere

Tollere decretum eſt? iraſcíque omnibus annis?
Non eſt non hominum ſcelus hoc, ut Tartara cernas
Id molita nefas, imo de pectore terræ
Impetus, éque fero veniſſet flamma Barathro.

IN MARGARETAM AUSTRIÆ. MAXIMILIANI Cæſaris filiam, morientem.

ERgo nigra dies, & adeſt quoque flebilis hora,
Fœmina dia, tibi? nec mors diademata curat?
Ergò longa quies tibi jam properatur, & iſta
Lumina perpetuis claudet nox una tenebris?
Nec pietas nec ſancta fides, nec nobile ſtemma,
Belgica nec Divos tellus miſeranda movebit?
Scilicet hoc fuerit tumidæ monuëre quod undæ,
Et terræ lachrymas ſuggeſſerat Amphitrite.
Illa orbanda ſuâ Rectrice, orbanda parente,
Jam nunc in riguos meditatur abire liquores.
Parce piis lachrymis tellus, & parce querelis;
Nec mutari opta, quod ſtat fatalibus olim
Ignibus impreſſum, nullis revocabile votis.

Doctiſſimi viri Jacobi Volcardi, *Bergenſis, Epitaphium.*

HOſpes, qui calcas loca triſtia defunctorum,
Siſte gradum; cineres heic Jacobus habet.
Aſpera quem fata, & noſtro nimis invida ſeclo,
Non ſunt maturos paſſa videre dies.
Volcardo cognomen erat; primordia vitæ
Berga dedit; quo ſtas, nunc habet oſſa, locus.

Quicquid

Quicquid Roma docet, quicquid docuistis Athenæ,
Noverat: obscurum non minus ivit iter.
Illis ad tumulum Nymphæ Parnassides udas
Effundant lachrymas, Pallas & ipsa gemat.
Illius ad tumulum succrescat Apollinis arbor,
Mixtáque cum violis lilia, cumque rosis.

TVMVLVS

TVMVLVS

Seren^mi. Pot^mi. Invict^mi. Regis

GVSTAVI ADOLPHI,

D. G. Suecorum, Gothorum, & Vandalorum Regis, Magni Principis Finnoniæ, Ducis Esthoniæ & Careliæ, nec non Ingriæ, Livoniæque, &c. Domini.

Dì, quibus imperium est, túque impavidissime Mavors,
Terra Palatinis per quem Tartessia sceptris
Excidit, & languent aquilis ultricibus iræ,
Nec constant jam Fata sibi; verum ordine nullo
Alternat dubias regum Fortuna coronas:
Desævi, Gradive, parum; & furialibus armis
Da spatium tenuémque moram; dum grande cadaver
Tollimus, & Tumulum ingenti decernimus umbræ.
Cum titulis lachrymæ, cum majestate querelæ,
Et medias inter surgunt lamenta tiaras.
Pallet ebur, maculísque riget liventibus ostrum,
Dum formidatos bellatrix purpura vultus
Exuit, & nescit se regnatoris imago.
Cui modo terribiles augusto in vertice cristæ,
Et galeæ fulgebat apex, cui dextera crudis
Cædibus irrubuit, densóque effusa per hostes
Obvia fulmineo diffregit cornua telo;
Occidit, & sese jamnunc miratur inermem.
Arctôum diadema jacet, gemmæque coruscum

Abſcondunt, cum Sole, caput. ſua damnat Hydaſpes
Munera, lauriger íſque micans ſub crinibus aurum
Marcet, & exanimi ſquallent ſub murice lanæ.
Sic ubi Phœbæas fœdâ caligine texit
Immitis Dictynna faces, fratrique minatur
Torva ſuo; totus, radiis languentibus, orbis
Horret & attonito decedunt gaudia mundo.
Cum fera magnanimum merſiſſet femina Cyrum,
Laxarétque ſuos Thomyris veſana furores,
Et Scythici fluerent rivis crudelibus utres,
Plorabas tum, Perſa, domi. cum Parthica Craſſum
Agmina, cum magnum raperet Germania Druſum,
Mœrebas, pia Roma, procul. quin conſcia cladis
Leurida fatales flebant Capitolia caſus.
Quæ Latio facies! cum te, Germanice, longè
Audiit extinctum Tiberis; cum nobile buſtum
Vectaret patrias flens Agrippina per undas,
Iſtáque funeſtam quaterent ſpectacula Romam.
Quàm Macetûm tremuere foci, quàm regia Pellæ
Atria & Æmathios feralis fama penates
Perculit, & tacitas Grajûm concuſſit Amyclas,
Pellæo moriente foris. tunc Theſſala Tempe,
Tunc omnis Rhodope pallénſque cohorruit Hæmus,
Et deploratæ ſortem planxere Mycenæ.
Hoc luctus in Rege ſtupent, cauſáſque dolendi
Orbis habet. queritúrque uno natura ſepulchro
Tot populos gentéſque tegi. ſuſpiria Finno
Elidunt Sueonum gemitus; & Lappio flere
Neſcius & paſſis incuſat fata capillis
Vandalus & tali felix rectore Boruſſus.
Ipſe, ſuo quamvis concretus frigore, Moſchus,
Ora pharetrato jungit lachrymantia Daco,
Hoſtiles oblita minas; Gothicóſque dolores
Viſtula Sarmaticos longè diffundit in agros,
Et, Viadro trepidante, pavet. ſimul ingemit Albis,
Scuta Ducum frameáſque & fortia corpora verſans.

Currun

Currunt Teutonici lentè vastissima Rheni
Flumina, devictásque sibi plus territat urbes
Mœnus & afflictis Nicri submurmurat undis
Tristior, & socio partitur damna Visurgi.
Parte alia sævus redivivis viribus Ister
Surgit ovans tantísque capit solatia solus
Manibus & Latias jactat securus habenas.
At Gallum implexo post frontem crine ferocem
Luctus habet, Batavúsque sui discrimina belli
Aucta putat. pulsæ Tamesis form idat Elisæ
Austriacæ nova lucra domus, & nescia flecti
Pectora semideûm. vicinis æmula sceptris
Urbs Venetûm, quam sit plus tuta potentia fractis
Hostibus & modico dominari Cæsare, solers
Præcipit & magno vacuam se vindice sentit.
Tunc populi fortuna labat, cum vita dehiscit
Principis. hic animus toto se corpore miscet.
Hoc præstat rectore salus. lux ista Quirites
Irradiat. cunctos peragit mens publica motus,
Atque agitat molem imperii. cervicibus istis
Machina libratur mundi. qui regnat, habena
Se pariter civésque ligat. cum solvitur illa
Fertur & indomitum laxat respublica corpus,
Nec patitur se turba regi. ceu remige pulso
Fluctuat, & timidis jactatur cymba procellis,
Antennæque gemunt. etiam, GUSTAVE, potentes
Perturbat tua causa Deos, terrenáque juxta
Cœlestes tangunt hominum dispendia mentes.
Quem tibi porrexit Perseus fulgentior ensem,
Involvit totum nebulis. qui frena ruentis
Bellerophon malè rexit equi, pugnare recusat
Ulterius, Martémque fugit. qui proximus Ursæ
Assidet Arctophylax spirantia vulnera lambens,
Custodita diu contemnit plaustra Bootes,
Sanguineisque notans glacialia sidera guttis,
Tingit Hyperboreos regali cæde Triones.

Engonaſis ferale rubet, domitórque ferarum
Plus, reges domuiſſe, putat. ſed frendet Erichtheus
Arduus & pandis ſingultit rictibus Arctos
Utraque. quæ mundi circum tardiſſima fines
Volvitur, objecto ſe vellet in æquore mergi,
Riphæíſque ſuos abſcondi montibus ignes

Nec tamen hîc Varum canimus vel capta Cheruſca
Signa manu, profugóque infames Conſule Cannas,
Non raptas Parthis aquilas, Perſénque triumpho
Incolumem, Romane, tuo. non clare Jugurtham
Captivum tibi, Cæſar, habes. non victor Adolphum
Poſt currus pronáque trahis cervice quadrigas,
Ferdinande potens. Decium ſpectate renaſci,
Thebanúmque Ducem ſalvis occumbere caſtris,
Teutones. immoritur partis Victoria lauris,
Et denſas acies inter ſtragémque cadentum
Sternens enſe viam, famæ ſibi vendicat amplæ
Materiam, & madidas hoſtili ſanguine criſtas
Devovet, & mediâ ſuſpendit morte trophæum.

Æterni cineres, non veſtro cinnama buſto
Aſpergam, teneríſque ſtruam de floribus aram,
Pallentéſque feram violas, mollésque hyacinthos,
Aut quæ Panchaicis deſudant balſama ramis.
Hic paridi debetur honos, hic mœſta parentet
Leandro Citherea ſuo. nunc alter Achilles
Conditur, Hectoréſque illuſtrior oſſibus urna
Poſcitur. exequias Pyrrho, fortíque paramus
Scipiadæ. tumulum circa lutuíque tubæque.
Funeſtum Pæana ſonent. thoraces aheni,
Umbonum crates rutilæ, frameæque minaces
Concrepitent. ſævam quatiens Phorcynida Pallas
Deſtrictos tremulis gladios permiſceat haſtis.
Forment ſcuta rogum, compactos baltheus enſes
Subliget. hîc pharetras, miles, pro thure ſariſſas,
Ipſáque diſruptis adole tentoria velis.
Quæ vivo placuere Duci ſpectacula, manes

Afficient

Afficient hæc ipſa pios. fas condier armis,
Omne cui armatis abiit ſub meſſibus ævum.
Adſtent terribiles turmæ, & cervicibus altis
Ad pugnam phaleratus equus. qui regia vexit
Corpora, depoſitis iras inſignibus Æthon
Colligat, & domino cupiat parere jacenti.
Incedat ſolita majeſtas bellica pompâ,
Et ſocias acies non dedignata poteſtas
Confundat numero procerum. ſtringantur in arctum
Agmina, nec leges pudeat ſervare ſeveras.
Dalmata, da marmor cineri. da Botnia taxum,
Funereáſque rotent ad ſplendida buſta cupreſſos
Hercyniis paſſim ſudantia brachia ſylvis,
Ducant æra manus, patrióque auguſta metallo
Ora micent, vultúſque gerant, queis belliger hoſtem
Terruit, & pavidis Duinam palleſcere ripis
Vidit, & indomitum tandem miteſcere Volgam.
At vos Prutenis plorantia ſuccina cives
Quærite littoribus. toties aſſerta verendam
Accedant electra pyram, ſimiliſque cruentos
Pingite corallo ſtilliſque rubentibus artus.
Ipſe ego, dum cunctæ coëunt ad publica gentes
Funera, dum trepidam ſeſe devolvit in Arcton
Caucaſus, & mundi diſtincto cardine partes
Miſcent unanimes adverſo ſidere planctus;
Te, Rex magne, canam, vaſto licet æquore vatem
Diſſocient tot regna tuum, Tethyſque procellis
Obſtrepat, & querulis adlatrent fluctibus undæ,
Eminus aſſurgam ſceptris; intérque potentum
Heroúmque graves gemitus, regúmque ducúmque,
In Batavis pia verba loquar; gelidóque ſub axe
Audiet Aonios regnatrix Suecia cantus.
Túque adeo, ſeu jam grandis ſolatia luctus
Expendis, Regina parens, unique Tonanti
Indulges regale caput: ſeu lurida triſtem
Verris humum, & fluidâ ſcandis pallatia pallâ,

Ut lachrymis ſecreta vaces: ſeu maxima belli
Pondera & immenſi pariter moderamina regni
Feminea plus ſorte ſubis; thalamíque dolores
Celſa premis mulier, caſúſque abſcondis acerbos:
Sive, quod extremum credo fore munus amantis,
Caſta maritali defigis baſia vultu,
Et cunctis numeras victricia vulnera membris,
Vindictæ fomenta tuæ: clariſſima vati
Diva fave. quamvis Sæonum novus advena portas
Ingrediar, nec ſim tantis par conditor actis,
Aut mea victuras oſtentent tempora lauros;
GUSTAVUS mihi carmen erit. qui regibus ortus
Tot reges veneratur avos ſempérque renata
Majeſtate viret. quem primum gignere ſolers
Cum cuperet natura, rudi ſub pulvere partem
Miſcuit indomiti Martis, mentémque Minerva
Induit, & ſolido fibras adamante ligavit;
Ut Regem genuiſſe putes, & vivida cœli
Semina ſceptriferis jam tunc hæſiſſe latebris.
Quid mihi Divorum ſobolem grandæva vetuſtas
Objicis Alciden? quid clarum Theſea bello,
Memnona, Trojanóſque duces arceſſis ab alto?
Hunc decuit formaſſe Jovem. plus ille meretur
Eſſe Deûm pronepos, quam qui Telamone creatus
Occubuit propriis damnatus viribus Ajax.
Horribiles populis Gothi, dominíque Trionum
Continuant ſeriem gentis, quam priſca celebrant
Secula, quæ victo rapuit diademata mundo,
Exuit Auſoniam titulis & paupere terra
Ivit in imperium magnum, per regna cucurrit
Bætica, per Druidum ſaltus, per inhoſpita Mauri
Littora & Arctois Abylam parere coëgit
Juſſibus, edomuitque ſuis Atlanta maniplis.
Venturo gens apta Duci. cunabula Tethys
Fluctibus aſpergit, primóſque exaſperat annos
Oceanus, natale ſolum. ſic inter & arma

Sarmati-

Sarmaticáſque nives & frigora ſæva, futuræ
Virtutis documenta capit, diſcítque ſevero
Terrarum pelagique Deos ſub ſidere naſci.
Creta Panomphæum gaudet foviſſe Tonantem,
Odryſium Thrace. naſcentis gloria Bacchi
Erigit ingentes Thebas. hac prole ſuperbit
Parrhaſis, & gelidus civem ſibi vendicat axis.
Tunc ſua fatidicis recluſit vocibus ora
Augur & inſpecto vates præſagus Olympo
Horruit, & tacitos rabido de pectore ſenſus
Lappionum doctæ procul excuſſere Sibyllæ.
Chaldæi ſiluere ſenes, & corniger Ammon
Et Dodona loquax & pulſo numine Delphi,
Et raptis olim ſapiens Hetruſcus in extis.
Pro cunctis Scritofinnus erat, Boreæque peritus
Inſtitor, & ſcopulis hærens piſcator in udis.
Cui caneſcentes fundunt præſagia barbæ,
Et faciunt arcana fidem, pernixque volatu
Cervus & Æoliæ dictant oracula rupes.
Fama fuit Siculis jam tunc formacibus æra
Cyclopum properaſſe manus, fumaſſe caminis
Ænariam, & diras capulis aptaſſe ſecures,
Et mox torquendas in Cimbrica colla machæras.
Tunc Livonas tremuiſſe ferunt, quæque uvida Francus
Regna colit, Bojoſque ſuis in finibus arcto
Obriguiſſe metu, Rugóque habitata feroci
Æquora & audaces ſpem præſenſiſſe Cheruſcos.
Adſtitit ad cunas CAROLUS, magnúmque rotari
Dum videt hæredem, nec pondus amabile læta
Faſtidit tractare manu, veſtigia ſignat
Indolis; & gemino circumvallata profundo
Imperia adſpectans, natíque in imagine gaudens,
Naſcere, ait, ſoboles. non hæc mea littora votis
Sufficiens anguſta tuis. ſed turbine belli
Mox tua vicinas implebunt claſſica gentes,
Qua tellus pelagúſque patent. procul audiat arma

Boſphorus & Phariæ potator fervidus undæ,
Et vagus Euphrates, toſtúſque caloribus Afer,
Et dis Auroræ ſolium. nec deinde relinques
Par decus armorum cuiquam ſperare nepotum.
Ipſe coruſcantem puero pater alligat enſem,
Et rerum ignaros ferratâ caſſide vultus
Abdit, & æratis ſtringit thoraca catenis.
Pro thyrſo gravis haſta fuit, pro deſide myrto
Baltheus & pharetræ & quondam nocitura bipennis.
Talis inexpertum Peleus formavit Achillem,
Hectora Phillyrides, tales videre Mycenæ
Atridas miſeræ faris præludere Trojæ.
Sic & Biſtoniam torſit Mars parvulus haſtam,
Duravítque ſuas glaciali in Strymone plantas,
Brachiáque & digitos primos intendit in arcus.
Jam ſpumantis equi fodiens calcaribus armos,
Anticipat curſu Boream, currúſque volantis
Oenomai. gaudet præruptos ſcandere montes
Annitique jugis, gelidos tortentibus artus
Abluere, & nimbos inter Caurúſque Notóſque
Spernere cœlorum rabiem. quos Sparta laborem
Suſtinuit patiens, ſubiit generoſa juventus
Principis, & canis facies illæſa pruinis
Pertulit adverſæ mordacia frigora brumæ.
Nec minus & ſtudiis animum florentibus implet,
Ac ſceptris facienda legit. jam Graia veteſtas
Excutitur, nunc Roma ſuos edifferit auſus,
Totque virûm, priſci quos ſuſpexere Quirites,
Ante oculos exempla locat. mutabile regnis
Ingenium ſortémque notat: nutare tribunal:
Fulgida ſuſpendi tenui diademata filo;
Inque vices apicem iratos nunc demere nobis,
Nunc aliò transferre Deos. ut ſumma poteſtas
Impatiens conſortis eat, nec fidere fas ſit
Regnantem ſociis, claris monitoribus haurit.
Ut populi valeat duros inflectere ſenſus

Officiis,

Officiis, vitæque modum pro lege miniſtret,
Prædiſcit. tunc juſſa pati tractabile vulgus,
Cum facit illa jubens: cum ſe plus ſentit amari,
Quàm metui. ſolo florere palatia recto,
Et validas niti placidis virtutibus urbes.
Quin cladem ſceleri titulos, & fraudibus orbem
Exitium debere ſuum: palleſcere fœdis
Criminibus regale caput: conſpectius omne
Eſſe decus, quoties ſtabili ſplendeſcit honeſto.
Nec trabeis alienа putat; præponere ſemper
Publica privatis: afflictis parcere: civi
Conſulere, & tumidos animi compeſcere motus:
Et pacem donare ſuis, regnóque quietem.
Jámque paludatis mundi rectoribus audet
Divinum pręferre Numam. damnare Quirili
Graſſantes quacunque manus. compendia belli
Improbat in Tullo, & paucis pugnantibus Albæ
Suſpendi imperium. Mavortia laudat in Anco
Nomina, magnificáſque domos, Tuberímque decorum
Pontibus. Auſoniis Græcas qui miſcuit artes,
Miratur vafrâ ſubnixum conjuge Priſcum.
Nec ſervi fortuna placet, nec cœpta ferocis
Tarquinii & tremulâ decuſſa papavera virgâ.
Libertas aſſerta placet, Brutúſque Superbi
Ultor, & illuſtris Gallorum cæde Camillus,
Et Thuſco oppoſitus Coeles, paupérque ſub armis
Fabricius, pauper Curius, ridénſque favillas
Scævola & ex ipſo raptus Dictator aratro.
Excellens quodcunque probat, mentémque per omnes
Dum verſat veterum faſtos, imitanda reponit,
Et quondam fugienda ſibi. cui navita primum,
Quem nondum iratæ gnarum fecere procellæ,
Perluſtrat maria ampla domi, Syrtéſque vadúmque,
Et ſcopulos ac ſaxa legit: magnetica quantum
Hic illic deflectat acus, quo concita vento
Cynthia præcipitet fluctus, ubi fixa Trionum

Sidera, & erecti rigeant Aquilonibus axes.
Sed mox cum ſolidum ſpirarent pectora Martem;
Seriáque erigerent pugnacem claſſica dextram,
Is patri, GUSTAVE, comes; bellique labores
Et regni vis eſſe tuos; unuſque parenti
Imperióque vacas. & jam matura recentem
Accendit Bellona Ducem, lætuſque ruentem
Implicuit furibunda tubis, concurrere turmis
Cominus, & nudis inter fulgentia telis
Agmina, quà globus ille virûm denſiſſimus urget,
Ferro aperire viam, lituis impellere ſegnes.
Hic ſparſas glomerare acies, hic pandere junctas,
Lunata nunc ire manu, nunc ſtare rotunda,
Nunc revocare ſuos, nunc tutis fidere vallis,
Spes omnis votúmque fuit. Tibi ſæpe paratæ
Sordebant epulæ, ſomnúmque abrupit Enyo,
Aut vigilem clypeo recubantem vidit & acies
E galea potare nives, aut fonte remotum
Illimi fœdâs avidè ſorbere paludes.
Quantus erat ducibus fervor, quæ cura ſequendi
Omnibus, immenſos quoties vehere per agros,
Et circumpoſitis exercitus undíque caſtris,
Fulmineóque ſeges ſtaret Mavortia vultu,
Te, Patrémque ſtupens: veluti cum Lucifer ardens
Flammifero cum ſole micat, junctúſque Tonanti
Mars radiat, ſociántque ſuos tot numina greſſus.
Sæpius ille tibi ſtimulos & ſemina laudum
Virtutíque alimenta dabat; cum facta parentum,
Et grandes memoraret avos, ac priſca revolvens
Secla, per Oſtrogothos iret, totíque tremendos
Europæ Libyæque duces, quæ flamma Valentem
Uſſerit: ut ruptis Latias penetraverit urbes
Alpibus, & fuſo præſtans Alaricus Alano,
Fregerit invictæ bellacia mœnia Romæ.
Qualis in hunc acer Stilico ſurrexerit hoſtem,
Ceſſerit Arcadius, Gallæque adnexus Ataulphus

Conjugis

Conjugis obſequio longas placaverit iras.
Inde Thoriſmundos, ſaci ſque extollit Ericos,
Et Tejas, Vitigéſque & formidabile nomen
Audacis Totilæ, debellatúmque Timavum,
Ticini Tyberíſque Deos, Atheſinque Padúmque.
Cum propius libet in magnis hæſiſſe Canutis,
Manant ex illo Stenones. ferrique Suanto.
Intrepidus, Janúſque pater. ſed dura recenſens
Fata Sigiſmundi, queritur ſanctiſſima ſperni
Conſilia, & vafris ſubverti ſceptra magiſtris,
Invadi inſontes hoſtili milite tetras,
Vim, noctem, ſcelus, arma, dolos & funera paſſas,
Calcari patriæ leges, edicta laceſſi,
Nec monitis ſupereſſe locum. ſe ſanguinis ortu,
Se Procerum juſſis, ſe libertatis amore
Tutaríque fidem, & regni defendere partes.
Sic laudes genitor longè tranſgreſſus avitas
Te dedit hæredem populis, ac redditus aſtris
Molem immenſam humeris & vix tractabile pondus
Impoſuit, voluítque tuis cervicibus Arcton
Inniti & tanto ſe ſucceſſore tueri.
Tu vigiles verſans per tot diſcrimina ſenſus,
Omnia perpendis ſolers, hinc ardua belli,
Hinc momenta togæ. quantis ſe Suecia cauſis
Vindicet & pulſo nolit concedere Daco.
Exeat in gentes lux hæc ſublimior, in qua
Arma ſimul habeáſque capis, famæque futuræ
Fundamenta locas. coëunt cum faſcibus enſes,
Cum caſtris civile forum, cum mitre lictor,
Irradiántque togas phaleræ, phaleráſque ſecures.
Te regnante ferunt ſummo delubra Tonanti
Ingeminaſſe pias voces, & proſpera ſacris
Tempora ſperaviſſe ſuis. revireſcere lauros
Vidimus, innumeróſque tibi ſpondere triumphos.
Te legum cuſtode ſibi ſolennia ſcripſit
Omnia Libertas, validíſque innexa catenis

Frenduit, & ſervile jugum furioſa Tyrannis
Tranſtulit in Moſchi latebras, Hunnúmque ferocem,
Aſſuetúmque Scytham duris. Aſtræa ſeveros
Leniit æqua patres, & formidata nocentem
Correxit terrore reum. Prudentia factis
Emicuit grandæva tuis; intacta refulſit
Nec temerata Fides. vertit vigilantia quavis
Lumina parte Labor. ſublime Modeſtia culmen
Inflexit; poteráſque minor jam rege videri.
Jam titulis regúmque omni conſpectior oſtro.
Non tibi veſanos ignava licentia luxus
Suaſit, & incumbens auguſtis poſtibus effrons
Improbitas, peccánſque exemplis grandibus error.
Proſcribis ſcelerum matres, adverſáque recto
Crimina. Tartareis quæ dudum extrufit aboris
Tiſiphone, ſtudiíſque tuum Conſtantia pulchris
Fulcit ebur, nec te patitur mutabile quicquid
Deſpectúmque ſequi. lentas Patientia vires
Roborat & totum moderatur maſcula regem
Simplicitas, ſummíque decens reverentia cœli.
De te judicium non indignaris haberi,
Ut jam conveniant paribus ſuffragia plebis
Vocibus, & creſcat concordi teſte poteſtas.
Tale micas ſidus populis, exemplar honeſti,
Virtutum manifeſta Pharos, venerabile pignus
Indigenis, Borei numen præluſtre profundi,
Spes & cura poli. quem cum Sapientia rebus
Præficeret, cuncti rupere ſilentia vates
Certatim & Clariæ cortina remugiit aulæ.
Rectorem te forma facit, ſpeciéſque tiaris
Conveniens, digníque iſto moderamine vultus,
Membrorúmque vigor. celſi nitor arduus oris
Inceſſúſque Ducem monſtrat. non aſpera vox eſt,
Non frons triſte rigens, tetricúſque in moribus horror;
Sed facili excellens gravitas permiſta ſereno,
Eloquiique lepos & præſtans gratia fandi.

Neſcio

Neſcio quid primum miret; quod turbida regni
Æquora, & indomitos fluctus, tumidóſque tumultus
Straveris, & placidis curſum direxeris Euris,
Nunc hac nunc illac proram obliquante carina.
Quod nihil in tanta rerum formidine ſceptris
Feceris indignum. quod nunquam publica ceſſit
Cauſa tuæ curis agilem te objeceris unum
Pluribus; inveniens vel quod facundia promat,
Vel poſcat patranda manus. quod commoda miſſis
Undique legatis fueris reſponſa locutus,
Totque tibi cautis ſociaris fœdera pactis,
Externo imperium gaudens offerre favori.
Jam Latium Romámque ſonas, jam Gallia voces
Audit læta ſuas, celeréſque imitantia lapſus
Verba probat. jam priſca graves Alemannia coram
Excipit ore ſonos. faris vernacula Ruſſo,
Impavidóque Getæ. loquitur tibi Finnus & ipſe
Lappio. conſocius Batavis oriundus ora,
Et quot verba facis linguis, tot gentibus ortus
Crederis & patrias audire ac reddere voces.
Ipſe tibi præiens dictas conſulta Senator,
Quæ peragas miles. ſcribis facienda cohorti,
Et pelago mandas claſſes, terræque phalanges;
Callidus evitare dolos; decernere, quicquid
Armatæ poſcunt acies, atque indiga rerum
Militiæ numeroſa domus. quin finibus exis,
Et vicinorum motus & robora geſtis
Complecti, atque oculis etiam longinqua tueri:
Quid moveat Ganges, quid ſævam terreat Hellen,
Quæ fortuna Tago, quid ripa binominis optet
Danubii, rectórque Savi, quem ſurgat in hoſtem
Pannonius, Cimbérque ferox, ubi Sarmata bellax
Sacramenta petat, quo noſter Belga triumphet
Principe. cur cupiat procul arridere Britannus.
Scis qua norma Italus, qua velox militet arte
Sauromata, ut pavidis Batavorum vinea muris

Adrepat,

Adrepat, triplicéſque obeant munimina foſſæ.
Omnia quæ proprios prudens convertis in uſus.
Hęc cum cuncta domi, Princeps, documenta dediſſes,
Tecum crevit amor, dominóque tenacius hæſit
Omne ſolum. flagrans animis concordia vulgi
Pura mente favet. dubium, nunc flectat habenas
Rex melior, meliórne pater. confunditur aula
Privatis laribus, ſpretóque palatia faſtu
Vulgares ſumunt habitus. cum cive laboras
Afflicto, paterſque miſer: gaudéſque beatus,
Cum tranquillus agit. redeunt artéſque Scholæque,
Et ſtudiis nova templa patent. non præmia Muſas
Deſtituunt, ſed colla levant contempta Camenæ,
Séque inter ſcopulos, atque invia ſaxa, lacúſque,
Et Dryadum ſaltus ſpectat Doctrina renaſci.
Ipſe jubes urbes alias & mœnia condi,
Et Gothicas fulcis manſuris legibus arces.
Tu vallos operi, tu propugnacula ſignas,
Et tutus aperis portus, pulchríſque colonos
Pollicitis placidíſque levas commercia juſſis.
Sed vatem me bella vocant, patulæque repoſcunt
Te galeæ; clypeóſque truces attollit in altum
Pugnatura phalanx, & formidabile murmur
Inchoat. inſonuere tubæ lituíque, feróxque
Parma micat, tollúntque meos furialibus cantus
Claſſica. ſanguineis altè ſubnixa cothurnis
Melpomene, tragico perfundit caſtra boatu,
Atque atrox meditatur opus. Vos pandite cuncta
Aonides, vos tantarum faſtigia rerum
Stringite, & hybernis regem deducite mundi
Partibus, & medio victorem ſiſtite Rheno.
Vixdum florentes conſcendit viribus annos
Jam patiens armorum ætas, virtúſque juventæ
Incaluit, Rex magne, tibi. interrupta parenti
Arma remoliris ductor, proavúmque labores
Excipis, & primo reſperſus pulvere campis

Bellipo-

Bellipotens tua ſigna locas, hoſtémque repellis
Finibus, & propriis arcens incendia terris,
Cimbrorum popularis opes. arſere favillis
Oppida. flagrantes flammis ultricibus agnos,
Supplicúmque ſuum flens Elzenburga tuetur.
Vindictâ pars nulla vacat, laxatáque ferri
Graſſatur latè rabies, cladémque rependit
Cladibus & paribus diſpendia diluit auſis
Nam cum Teutonicis horrerent littora caſtris,
Codanúmque ſuas in te transfunderet iras
Æquor, & oppoſitæ vomerent nova prælia ripæ,
Cum vicina ſuas armaret Scandia dextras,
Denſáque Calmariis hærerent agmina portis:
Tu ſolamen eras miſeris, ſubitáque levabas
Naufragium commune manu. tu tecta, penates,
Et ſurrepta ſuo reddebas rura magiſtro.
Illic Oceani ſtagnis excita laceſſis
Carbaſa, belligeráſque rates, & Balthica mergis
Tranſtra, triumphator pelagi. cogíſque tributi
Et vectigalis rigidum miteſcere patrem.
Tu quoque non parvum partis fera Ruſſia lauris
Adjungis cumulum. poſtquam tot barbarus ille
Terribilis ſpoliis, & tot numerator honorum
Impulerat grandes odiis immanibus urbes
Ferre jugum, dominúmque pati. non ſegnior hoſti
Obvius, invita figis tentoria bruma,
Atque hyemes bellare doces, dum ſævus Orion
Horret, & immiti radiantia cingula cœlo
Diſſolvit, GUSTAVE, tibi, trepidantia ſenſit
Signa Chronus, poſitíſque minis languere Turuntus.
Et qui ſe longis terrarum flexibus abdit
Volga, cruentatas porrexit ad oſcula dextras.
Qui modo captivum vinclis abduxerat agmen,
Et famulas altâ gradiens cervice petebat,
Obſide dedidicit ſocios vexare Britanno,
Aſſuetóſque lares & lignea tecta reviſit.

Scilicet

Scilicet ille ſuas jam faſtidire maritas
Cœperat, & raptis Livonum gaudere puellis.
Ut Moſcho conceſſa quies, civilia rurſus
Bella tonant, aliósque quatit diſcordia reges.
Cognatósque Duces, liti memorabile nomen
Majeſtas amiſſa facit. trux undique Dacus
Adſtitit, & patriam turmis hoſtilibus implet,
Nunc hic nunc illic variè certamina miſcens.
Concurrunt adverſæ acies. hæc aſſerit aras,
Hæc premit. illa focis audax inſontibus inſtat,
Hæc pia defendit. leges pars altera ſpernit,
Altera juratas urget. ſic utraque pugnat,
Nec fato, nec jure pari, dúmque agmina denſant,
Et ſpiſſi coëunt Sueones, arctántque cohortes,
Inclinat ruitura cohors, animíſque remiſſis,
Donat terga fugæ, colliſáque quadrupedantum
Corpora, per laxos ſternunt ſua pondera campos.
Ipſe manu metuendus ades, ſtimuláſque tuorum
Cornua, ſuccendíſque viros, primúſque ſub ipſis
Ordinibus, cupidis oſtentans tela maniplis,
Exemplo pugnare mones. fiducia cauſæ
Erigit intrepidum & gliſcit ſucceſſibus ardor.
Tum Venedi timuere ſinus, & littore toto
Urbibus exuitur, rigido ſub ſidere, Duina.
Non magnam ſervant Neptunia mœnia Rigam,
Non arces, Dunamunda, tuas, ſublime Felinum
Et verſis omnis ſe dedidit Æſtius armis.
Imperio nova forma redit, glomerátque triumphos.
Præcipiti ſors prona gradu. ſuſpenſa trophæis
Ordine regna ruunt, fœdíſque erepta tenebris
Alma Salus alios victis promittit honores,
Et veluti rediviva, oculos in morte jacentes
Lætior attollit, portáſque effuſa per omnes
Turba ſerenatis dominum complectitur ulnis.
Quiſquis in antiquis defigis lumina faſtis,
Et veterum annales, priſcóſque recolligis actus,

Hîc

Hic majora stupe. ne tanti Colchida victam,
Aut Macetûm fractas, Paulo pugnante, fariſſas
Esse puta, aut celeri compressum Cæsare Gallum,
Cesserit Illyricum, clarisque subacta Metellis
Græcia, & excidio permiscens æra Corinthos.
Succumbant Mario Numidæ, Fabióque minores
Allobroges, Latias aquilas admittat Iberus,
Celtiberique graves, & nunc audite nepotes
GUSTAVO faviſſe Deos. sua sceptra Boruſſum
Subdere, mercantes Elbingam pandere portus,
Et Mevæ Mariæque simul castella teneri.
Quam tunc pulchra suis fluxerunt succina ramis
Æquóreo concreta gelu; quàm larga totondit
Vellera & exuvias facili donavit ADOLPHO
Dis ovium pecorisque solum. sed Vistula, fortes
Inter Hamaxobios & duræ gentis Alanos,
Distentes vectans Cerealia munera transtris,
Indoluit sisti jussis regalibus amnem,
Et, Gedano indignante, premi; sua classibus angi
Ostia, & armatis lacerari puppibus alnos,
Nec custoditas stipendia solvere merces.
Quid trahor ulterius? tardis succurritur alis,
Et frustra Austriacis se defensoribus addit,
Serica cui ludunt molles per ephippia venti,
Dacorum phalerata manus. ruit acris ab Arcto
Tempestas, aliúsque furor committere gestit,
Et totos miscere globos. Ptoh, funera quanta,
Quam multo aspexit rorantes sanguine terras,
Altior Alcides; quam sparsa hastilia sylvis,
Atque intertexto radiantia tegmina byſſo,
Vidistis pavidæ Dryades; dum Prussia cæsos
Supputat & solitis erepta cadavera bustis.
Ille diu miles populus, cui fabula quondam
Facta fuit, spoliúmque & lusus & alea mundus,
Bellaces orditur avos. quem semper in armis
Horribilem, vincíque gravem sensere priores:

Majorum

Majorum decus, & veteres exuſcitat ignes,
Nec diſpar ſibi ſternit iter. poſt ſecula virtus,
Quantumvis ſopita, redit, nec ſemina claræ
Diſſimulant generíſque ſui primordia gentes.
At non una tuas, Regum fortiſſime, laudes
Terra capit. quamvis ſpatiis te immanibus æquor
Ambiat, & Scythico durati frigore fluctus,
Et tibi laxa ſatis diſtendat plauſtra Bootes;
Quamvis Vandalicis volitent inſignia campis,
Téque ſimul Dacus, Cimbérque & Moſchus adorent:
Plus debent convexa tibi. plus numina ſpondent;
Plus ſupereſt, quod miles agat. præconia, Vates,
Colligite, & magnis fecundum impendite pectus
Vocibus. hîc ille eſt Boreæ defenſor & Auſtri,
Pacator Viadri, Rheni calcator & Iſtri.
Quò, Bellona ruis? quo me, Germania, feſſum,
Quò rapis Arctoum nova per diſcrimina Regem,
Et mediis auguſta locas tentoria Francis?
Dic, Nicer, hos motus; dic, Marcomanne, labores,
Et mecum ingentis cauſas expendite belli.
Poſtquam Cæſareos ſumma ad faſtigia fallax
Extulerat Fortuna Duces, celſáque locarat
Auſtriacos ſtatione Deos; poſt flebile fatum,
Et ædes, Bojæme, tuas; poſt reddita Pragæ
Sceptra, Palatino depulſam culmine regum
Progeniem tantáſque vices; cum publica poſſent
Subſidiſſe odia, atque moris langueſcere parvis,
Aut aliud ſuaſiſſe dies: in Cæſare creſcens
Vis animi, rebúſque modum ſervare ſecundis
Neſcia, prætumidos irarum ventilat æſtus,
Júſque ſuum infamat vitio; mitrámque recentem
Inquinat ambitio, & quæſita licentia regno.
Atteritur decus imperij; Comitúmque Ducúmque
Fama ſimul titulíque ruunt, deductáque priſcis
Nomina nominibus, patrúmque ab origine faſces,
Stemmatáque & trabeæ, mutato principe, lugent.

Damnatos

Damnatos repetunt Romana palatia cenſus,
Et ſua ſacrati cupiunt ærraria patres
Creſcere, pauperiéſque ipſi tranſcribitur aulæ.
Vaſtat agros pernox miles, miſeríſque tyrannus
Incubat, & cunctis graſſatur finibus exlex.
Proſcripti fugiunt cives, Sullæque leguntur
Pluribus atroces tabulæ. fert exulis omnis
Effigiem regio. reſonant ploratibus urbes,
Templa, foci. ſolitas ignorant numina ſedes,
Dum Superi, dum ſacra luunt, dum pelitur aris
Edicto munita Fides. non extera quicquam
Vota precéſque valent. potuiſti orare, Britanne,
Exorare nihil. Sueonum vexilla laceſſit
Improbitas, hoſtémque facit. cum Saxone ſordet
Juſtitiæ fideíque rigor, donatáque nuper
Auxilia & crebris pugnans legionibus Albis.
Crimina multiplicat faſtus, faſtúmque ſuperbæ
Sors ſpecioſa domus, & nixum ſanguine robur,
Et conſanguineis debens Hiſpania ſceptris.
Quæ dum mœſta videt, Gothicum Germania limen
Pulſat, & ut coram ſupplex ſtetit: accipe queſtus,
Et lachrymas, AUGUSTE, meas, ait. adſpice fœdum
Vulneribus tabóque caput, diſcerpta gementis
Membra Deæ, laceros odiis civilibus artus,
Et penè extinctum præſenti in funere corpus.
Poſt domitas Arctos, vel mites fœdere gentes,
Sic Fabius, Brutúſque mihi. tu jura decúſque
Redde precor, ſigníſque aquilas victricibus urge.
Omnia mox victoris erunt. te vindice nobis
Imbelles gliſcent animi, rurſúmque jacebunt
Hoſtibus. huc equitum turmas peditúmque catervas,
Huc totum transfer Martem. communia tecum
Fata vicéſque ſequar. paribus ſuperabimus armis,
Aut paribus res noſtra cadet. ſervire recuſat,
Cui non triſte, mori. nunquam ſe vindicat uno
Libertas oppreſſa modo. peregrina tueri

In

Inrectore pium. miſeris ſuccurrere. prima
Relligio eſt. vim juſta ſatis vindicta repellit,
Propugnat generoſa focos, altaria; Divûm
Et cœli non ſegnis amor. ſuccurre vocanti.
Hoc abavûm poſcunt manes. hoc juſſa parentis,
Hoc thalamo cognata domus. vix dixerat, & jam
Rex Boreæ molitur iter. cui proſpera Gallus
Vota facit, ſocio procul annuit Adria Scoto,
Belgarúmque patres. totum conſternitur æquor
Puppibus, & pandæ tranſvectant caſtra carinæ,
Et pelago tot regna natant. Ducis impetus undas
Tajecit celeres, alio ſtant littore claſſes,
Armatúmque ſuâ peditem vetus excipit orâ
Rugius, & lætis ſonipes lâſcivit in agris.
Undíque conveniunt populi, diverſáque cultu
Armorum properat pubes ſtupet ille ferarum
Exuviis tectum & velatum pellibus ora
Sauromatam. hic parvo metuendum corpore Finnum,
Ac picturatâ Livones in veſte decoros
Deſignat, Ruſſúmque nigrum, faciéque cruenta
Samogetam. proprio cataphractum pectora ferro
Hîc Gothum jam Dacus amat. Cimbróque nitentes
Oſtentat phaleras. pulchri inceſſere Britanni,
Et quos dura ſuis miſit Caledonia lucis.
Hos inter ductor graditur tot millibus unus,
Et variam ſtabili compeſcuit ordine turbam
Unius ceu membra domûs. nil turpe libido
Auſa fuit, placidis parebant legibus enſes,
Intactóque ferox gaudebat turba colono.
Tunc erecta ſuum mediis Alemannia flammis
Extulit os, cœpítque ſuæ plus fidere cauſæ.
Sed pugnare timens. Tu magis, maxime Regum,
Aggrederis bellum auſpiciis. nec prælia lento
Aut trepido Mavorte trahis, ſed fulminis inſtar
Cuncta tenes. numeros præceps Victoria neſcit
Confunditque ſuos, nec te tam vincere poſſe,

Quàm

Quàm viciſſe, videt; ſurgítque moleſtia faſtis.
Omne quod Oceanum Grajáſque interjacet Alpes,
Unius incurſu tremuit. ſine cæde ſubacta
Prima tuis ultrò occurrit Stralſunda triumphis,
Et faciles aperit portus. Viadrúmque minacem
Urbibus infractis adeò manſueſcere cogis,
Ut tua Cuſtrinum, nunc Francofurtia poſcat
Fœdera, nec dubitet locuples parere Stetinum,
Non Lansberga potens. nec quæ Colberga profundo
Imminet, & tumidis obſtat Gripſwalda procellis.
Jam ſua Caſſubius, jam jugera læta Suëvus
Deſpondent, & ne qua tuis inta ćta trophæis
Pars foret, æquoreis latè dominaris arenis.
Cæſar, ut adverſas videt increbeſcere turmas,
Et toto ſe Marte peti: nutare potentes,
Iraſci jam poſſe Salam; te fervidus hoſtem
Provocat, & calidis orditur prælia ſignis.
Stant Sueones, animárque duces Aquilonia virtus.
Pérque virûm conferta & denſa haſtilibus arma
Invenit enſe viam. belli furor impulit omnes.
Surrexere jubæ, galeis horreſcere flammæ
Incipiunt, coníſque rigent; irata metalli
Ora tonant, cieunt acres certamina dextræ,
Et faciunt alterna manus, jamque undíque tela
Miſſa volant, paribúſque crepant concurſibus haſtæ.
Calcant & calcantur equi. nunc ordine certo,
Nunc nullo pugnatur. agit violentia quemque,
Et lethi trux ſcena patet, mors ipſa cadentum
Audaces juvat, & rutili fiducia ferri.
Erigit impavidum pulchris hortatibus agmen
Parrhaſius ductor. nunc cornua flectit in hoſtem,
Nunc revocat. qua parte labant, ſuccurritur, & vãm
Reſtituit non feſta phalanx. ipſe inter & enſes
Et cuneos pugnantum & rauca tonitura, ſcũtis
Dum ſtillat cruor, & ſanies generoſa, fatigat
Numina; nec, quantum poſſit fortuna, moratur,

Aut

Aut cœcæ vis ſæva Deæ; ſed, certus Olympi,
Sollicitat, poſcitque Deum, vocéſque diſertas
Intendit cœlo ſupplex; Superóſque rogare
Et pugnare docens, pariter cum rege ſacerdos
Militat, & tantæ ſociant ſua munia partes.
Tu Juli contemne Deos, præpone ſecures
Et trabeas Divûm ſtudiis, calcate Nerones
Pontificum conſulta mali. nil cœlica Pœnus
Juſſa putet. laxet crudis ſcelus omne tyrannis
Impietas. hîc hîc, Reges, exempla parantur
Optima, regnantémque Jovem bellator adorat.
Hîc pietas vexilla levat, clypeiſque refulget
Relligio, gladióſque regit. procul exulat omnis
Barbaries, moréſque pios Rex ſanctior urget.
Tillius, ut diſpergi acies & robora frangi
Adſpicit, atque ſuis manantia vulnera membris;
Signa traliit fugiens, & Martis inania diſcit,
Et Nemeſin torſiſſe rotam; tot proſpera belli
Unâ clade tegi: contemtis aſtra laceſſi
Hoſtibus, & cæſo ſe ferre piacula Bæmo.
Sternitur Auſtriacus fuſis exercitus alis,
Et toto victrix graſſatur Suecia campo.
Hîc Italorum acies, hîc Teuto Martius, illic
Procumbit Burgundus eques, Carnúſque, feróxque
Iſtrus, & audaces Myſi, junctúſque Triballo
Dalmata. victorum paſſim nova præmia miles
Colligit infames aquilas, quas accola Dravi,
Illyricúſque pedes, Bojæque tulere cohortes.
Tunc omnis patuit tellus, patuere receſſus
Hercynii, & faciles caſtra accepere Thuringi,
Submiſitque ſuas ſceptris Erphordia turres.
Magna cadit tripolis, capitúrque à Saxone celſus
Romanæ ditionis apex. quo vindice dudum
Res ſteterant, nunc hoſte labant, mutatâque tandem
Mens præclara Ducis juſta ſibi conſulit ira.
Sic poſtquam anguſtis clauſum penetralibus æquor

Hæſit

Hæſit & euripis frænantur grandibus amnes;
Si laxent obices fluctus, dimiſſáque clauſtris
Undarum moles nullâ ſe effundat habenâ:
Unà agrí que laréſque ruunt, atque impete facto
Omnia præſenti involvit vis iſta ruinâ.
Non aliter ſeſe diffundit in intima regni
Viſcera Hyperboreæ felix fortuna coronæ.
Et tu, Parthenope, ſtares, ni læva fuiſſent
Fata tibi, & ſanis patuiſſent vocibus aures.
Nunc inhonora jaces, tumulúſque & triſte cadaver,
Et lethi domus & diri Buſiridis ara,
Aula Thyeſtiadum, crudele Lycaonis antrum,
Et deploratis pulſata orchæſtra tragœdis.
Quid, Tilli veſane, furis? cur effera quaſſat
Corda furor! num Getulo te patre leæna
Edidit, horrendæque admorunt ora Meduſæ?
Nullum, ſæve, nefas perdit. contempta Deorum
Majeſtas flammis teritur. reverentia lecti
Et ſexus pudor omnis abeſt. non ſi ſteteris annis,
Non matrum precibus. pueri innuptæque puellæ
Ante patrum vultus ferro perire vel undis.
Jam tibi collatus Phalaris manſuetior audit,
Jam Sullæ Mariique pii. jam mitior ipſe
Scyron & Getici infandum præſepe tyranni.
Inde per attonitos virtus Mavortia Francos,
Et fortunatas annona divite terras
Ivit ovans. trepidans Regi patefecit amicas
Herbipolis portas, docuitque ad regia juſſa
Romulidûm ſacros ſubmittere colla nepotes.
Idem etiam Mœno ſurgit labor. illa Viſurgis
Sors fuit, & domiti facies gratiſſima Rheni.
Ite Moguntini, profugo jam præſule, cives,
Et feſtas adolete faces. conjungite dextras
Vangiones. alius Nicro jam partus Achilles.
Quem vobis, pavido ecu ſidus amabile Tiphy,
Submiſere Dii; quì veſtræ certa ſalutis

Turris

Turris erit clypeúſque; tibi qui penè ruenti
Optatam tandem reddet, Germania, pacem:
Uſtorem ante oculos languens aſtare tuetur
Catthus, & hoc audet moliri præſide bellum.
Jurat Spira fidem, rerúmque ſecunda ſequuntur
Vindelici, & tutis tellus ſe Norica pactis
Servat, & Alſaticæ juxta ceſſere Tabernæ.
Nec minus attritis torvus contunditur Iſter
Cornibus, & captas Auguſto mancipat arces.
Ille Lycum Vindámque premit, cædítque Nariſcos,
Et Bavarûm penetrat ſedes. ſtupet Iſara greſſus
Atque habitus, Scritofinne, tuos, & celſa Monaci
Mœnia poſſe capi; Lavaróque in flumine paſci
Arcturi glaciales equos. tunc perculit Alpes,
Et juga Rhætorum clangens tuba. dicitur ipſe
Et Padus atque aliquid Tyberis metuiſſe ſiniſtri.
Sic cum Grajugenûm extremos traxiſſes in Indos
Agmina bis genitus Liber, vel dives Hydaſpes
Coram Theſſalicas, Pellæo principe, parmas
Cerneret, obſtupuit pallentis regia Pori,
Et ſua poſtremi timuerunt funera Sinæ.
Quo me cunque rapit terrarum maximus ordo,
Torque poteſtatum ſeries concurrere lauros
Adſpicio. parent Lygii, Chaucique, Moſellæ
Hoſpes & effrenes veniunt ad ſigna Cheruſci,
Trevericæque urbes. Ubios manſueta loquentes
Audimus, flectique minis Borealibus orbem.
Tandem iterum te Saxo vocat, GUSTAVE, noviſque
Oppida preſſa malis, quæ Martius alluit Albis.
Hîc alias cædes, alias diſcordia belli,
Parcatúmque latens animus, vel gloria pugnas
Inchoat. ut tardis cœperunt paſſibus alæ
Adventare, prior loqueris: Mea robora, Finni,
Lappiones, Sueconéſque mei, nunc illa refulſit
Exoptata dies, qua terras fama per omnes
Vos pariter regémque vehet, nec ſera ſilebit

Poſteritas

Posteritas nostrum facinus. distringite dextras
Ocyus, objectos, socii, perrumpite vallos.
Pugnandum est, dum fata vocant & classica. per vos
Moschorum rubuere nives, rubuítque cruentus
Cimber, & audaces compressit Sarmata voces.
Quæ mihi tot latè populos, tot regna subegit,
Virtus vestra fuit. vos per glacialia mecum
Flumina & hibernos spreta formidine menses
Istis iter durum. non vobis linea Cancri
Torrida & æstivis currens regionibus Æthon
Obstitit, aut longi fregerunt corpora Soles.
State viri, & si prisca manet reverentia nostri,
Hoc perstate loco. celebrata ferocia segnes
Proscribat pellátque metus, & pabula laudum
Subdat gentis honos. non fas à Cæsare vinci,
Natum Marte Geram. vobis pater ille, meique
Arbiter imperii est. istis defluximus oris,
Quas ferri commendat amor, queis pristina vitæ
Regula, militia est. astris animamur & undis
Acrius, & similes animos afflatáque corda
Sideribus gerimus. gladiis arcete pudorem,
Invictum se quisque probet. nos esse pericli
Et pugnæ comites volumus. properabimus una
Ad laudem mortémque via. non præda, sed ipse
Materies belli Deus est. defendere sacra
Qui renuit, moriatur iners. afflicta bonorum
Tutores nos causa facit. ne Suecia clamet
Degeneres, Teuto timidos. quem sæpius ipsi
Vicistis, toties campis fudistis apertis.
Credite, non uno fugietis teste, vel uno
Judice victores eritis. tot gentibus omnes
Judiciisque damur. pariter spectamur amicis,
Hostibus & neutris. vasto res nostra theatro,
Censores, quos orbis habet. decidite litem,
Ancipitésque manu voces. nos inter & hostem
Vindex ensis eat. superet fiducia, si quid

Deficimus numero. fas est advertere, quales
Non quot bella gerant, unâ tot prælia luce
Conficite. & ne sit toties pugnare necesse,
Debellate semel. Regi, patriæque Deóque
Vivere præclarum est, illos servasse decorum.
Dixit, & extemplò postquam coiere manipli,
Cæsareum inclinat cornu. simul acta ruebat
Prima acies, non parca fugæ. Rex impiger urget,
Oblitúsque sui, veluti se indagine cinctum
Dum videt, & circum stipari tela manúsque,
(Ceu leo, qui telis cingentibus undíque præsens
Assilit in fœtum) medios agit acer in hostes:
Cornipedem, & tanto septus discrimine pugnat
Cominùs, & primo percussus vulnere sævit
Acriùs; haud magnum censens, ostendere mundo,
Regem posse mori. nec tunc Augustus inultum,
Quod supereſt de luce, sinit. ictúque secundo
Saucius, admitentem animam corpúsque fatigat
Ictibus, & justæ non sufficientibus iræ.
Jámque labans languénsque suo dum more coruscat,
Et formidatum nequicquam assurgit in ensem,
Corruit, atque iterum telis coëuntibus, Heros
Bellatricem animum patrio largitur Olympo,
Et sese invitis pugnando emancipat armis.
Illum plena cito sequitur Victoria curru,
Et totas acies, & castra ingentia mactat
Inferias, Gradive, tibi: sine principe miles
Dum superesse nefas censet, securiùs hostem
Insequitur. pudet amisso non vincere rege
Aut certare diu, juvit præsentia viris,
Plus mortis jam fama juvat. sine corpore cuncti
Exanguem pugnasse Ducem, mentémque per ipsos
Erravisse simul cuneos, tacitísque furentes
Motibus instigasse viros. sic victor honores,
Et claro insumeras abrupit funere lauros.

Qua dignum Te laude feram, Rex magne, beatis

Proxime Dis. qui cum moreris, plus vivere mundo
Incipis, & plausu passim majore triumphas.
Publica non unquam simili se gratia fudit
Assensu. nunquam Ausonias par gloria portas
Pandit ovans, cum Dentato tot Consule Roma
Oppida post currus traheret, cum victa catenis
Africa monstraret Marios, cum Pontica Magnus
Littora, cum silvas Arabum Libanúmque teneret,
Ostentare tuos servatum cura labores,
Et populos aliquis tenter narrare subactos;
Certabunt orbis partes. hæc prælia dicet
Gesta Lycaonio sub sidere, quà ferus ardet
Arctophylax, Utræque micant. Australibus illa
Splendidior spoliis urbes captivaque dicet
Flumina. victricem celebrabit Dacia dextram,
Botnia civiles narrabit carmine laudes,
Hìc Alemannorum toilent insignia patres;
Hìc aliis Nemetis, aliis hìc vocibus edent
Gesta Quadi, Bromióque etiam gaudente solutæ
Mænades Abnobiis scribent in montibus hymnos.
Distant sideribus fasces, nec parta sub uno
Concluſit natura loco. tua dividis arma
Climatibus, cælique plagis distingueris actor.
Quantum Sævo cuis ingens Meliboce recedit
Vallibus, à flavo Cattorum prata Rutheno,
A Nerva quantum Albis abis, Aquilonibus ipsis
Luppia, vel Duinæ lacubus discerneris Aura:
Tale tenes meriti spatium. tua purpura cunctos,
Et mœstas recreat domitrix clementia terras.
Per te damnatæ repetunt sua rura Napææ,
Securósque colit dominus tranquillior agros.
Nubila cesserunt, tempestatésque fugasti
Tyndarides. vacuæ profugis cultoribus urbes
Accipiunt civem. pulsis redduntur habenæ
Principibus, summóque vacant delubra Tonanti.
Quisque tibi grates solvit, quod libera rursus

Oppida possideat, quod nil formidet iniquum,
Lætius ædificet, domibúsque inscribat amœnis
Gustavi titulos & regis amabile nomen.
Cedite Trajani mites, vos cedite Drusi,
Et lenes in verba Titi. mansuetius illis
Dì dederant tibi posse loqui. pugnate Camilli,
Irruite in turmas Decii, patriæque vovete
Victuras æternum animas. non segnior istud
Carpsisti morituris iter. si paupere cœna
Pavit Alexandrum Libyæ torrentis arena,
Te voluit sors esse parem. tibi vertice nudo
Excipere insanos imbres, permixtáque nimbis
Fulmina ludus erat. tibi pulvinaria sæpè,
Et virides thalamos, atque udum rore cubile
Straverit humus, rigidæque fuerunt culcitra rupes.
Flammifero quoties flagraret Sirius astro,
Et coqueret siccas cœli inclementia valles,
Dedecus ajebas gelidâ recubare sub umbra,
Et fato meliore frui. quæ militis illa
Sors eadem rectoris erat. similésque fuere
Et Dux & vitæ assuetus veteranus acerbæ.
A te militiæ leges mandatáque castris
Accepit Bellona rudis. tu stringere noras
Cornua, tu laxare eadem, quæ collibus esset,
Conveniens campísque acies. quis fraudibus aptus
Angulus, ut silvis pateat latebrísque receptus,
Ut premat incautos nox intempesta, vigílque
Sobrietas, metuénsque novi Matura pericli.
Aggeribus quoties muros, fossísque coronas
Clauderet obsidio; tu propugnacula solers
Scribere, & imbelli poteras signare papyro
Grande rudimentum. quam parvo lignea nisu
Machina procedat, nec lenius imperat hostem,
Inventum dixere tuum. Tu promptus ab omni
Parte aderas, peditémque pedes spectator obibas,
Nunc equitem lustrator eques. campestria verbo,

Vel

Vel nutu præcepta dabas? Regísque sciebas
Officium, miscere Numam. Vix classica signum
Ediderant, agili circum tua tempora motu
Ludere cæsariem, crispari in casside conum
Vidimus. ille tuis monitus calcaribus acer
Cyllarus ardebat pugnas, patulæque parebant
Ad rabiem nares, fumabat morsibus aurum,
Discussæque jubæ dispargebantur in armos.
Ipse tibi velucer, quoties res posceret, alas
Bellerophon Persæúsque dabant: cum lentior agmen
Ductares, priscum jurabam ducere turmas
Æaciden, vel Niliacis præcedere sistris
Numen adorandum populo. Si viveret, optent
Te Duce Celtiberos contrà pugnasse Metelli,
Thermopylas servasse Lacon, domuisse Sicambrum
Claudius, excelsique aquilas junxisse Catones.
Prorogat æternam sospes tibi Suecia palmam,
Vulneribus defensa tuis. inopina reluxit
Germanis, te dante, salus. & prospera porrò
In nomen ventura tuum sibi secula spondent.
O quoties victi exuviis Aquilonis onusto
Arrisere tibi regalia sidera, Cepheus,
Et pater Alcides. quoties tibi libera favit
Andromede, misero cum solvi vincla Suëvo
Cerneret, Ulipetésque tibi parere volentes.
Quod si longa tuis traxissent stamina bellis
Concordes Superi, poteras immissus in Alpes
Eridano lavisse comam, proavúmque vetusto
Restaurasse decus solio, trans alta vagari
Pyrenes juga, vel mediis considere Mauris,
Aut iterum antiqui penetrare in viscera Bocchi.
Maxima versabas animo, gnarúsque videbas
Singula, quæ peragenda domi, quæ longius essent,
Quid potius pelago, vel sit tellure gerendum,
Quid mercator agat, num sanciat æqua sacerdos,
Num violet scriptas audacior insula leges;

Quid beet agricolam, quo florear aula decoro,
Judicij fuit omne tui. quid fabula vatum
Centum oculis Argum soli invigilasse juvencæ
Grande putas? uno lustrantur lumine regna,
Totque simul mens una potest confligere rebus.
Non tibi se regnum quisquam jactare priorem,
Vel cupiat conferre parem. collata potestas
Est minor, & tantis vis æmula deficit ausis.
Haud secus, ac puro rutilat cum Phosphorus igne,
Stellarum lux omnis hebet, caligat Orion
Nubilus, obtusis radiis intermicat Hydra,
Sidereæque faces invisso lumine languent.
Inclyte Rex, seu jam Nemeæo insessa Leoni
Astra tenes: seu Gnosiacæ te stella Coronæ
Irradiat: seu Threïcii per fulgida Martis
Limina terribilis graderis, seu celsior ipsum
Attingis solium Jovis, & cum Pallade regnas:
Adspice luctantem claro cum Cæsare Suecum,
Adspice victores etiam post funera Gothos,
Et nixa Axelii curis prudentibus arma,
Quo jam Parmenione vigent, quo Nestore florent
Res Sueonum, matura capit consulta Senatus,
Et vigil in mediis effulget Curia castris.
Adspice, quàm sese magni prænominis hæres
Hornius ostentet campis, quibus acer in armis
Vimarius ruat, & pallentem territet Istrum.
Hîc tuus est Perdicca, tuus Meleager & alter
Antipater, quorum egregiis successibus orbi
Vivis adhuc, geminósque feris virtutibus axes.
Hæc Tumulo suprema loquor, dum regia proles
Crescit, & ipsa inter præstans cunabula Virgo
Provehitur, decorátque tuo diademate crinem.
En, latus accingit gladio, torvámque pererrans
Ægida, & ærata ludens sub casside, quærit:
Num patrio desit tellus vincenda labori.
Tempus erit, quando totam regina Camillam

Induet,

Induet, armabítque viros in bella virago.
Tunc soboli, GUSTAVE, tuæ, cum Martia nubes
Ingruet, inspira robúrque animúmque virilem.
Sic tua continuis procedant prælia fastis,
Sic ingens regina suis cataphracta loquatur
Ordinibus, Geticas disponat femina clásses,
Masculáque Austriacos contundat filia fastus.

C. B.

ERUDITA IGNORANTIA.

QUi curiosus postulat totum suæ
Patere menti, ferre qui non sufficit
Mediocritatis conscientiam suæ,
Judex iniquus, æstimator est malus
Suíque naturæque: nam rerum parens,
Libanda tantum quæ venit mortalibus,
Nos scire pauca, multa mirari jubet.
Hic primus error auctor est pejoribus.
Nam qui fateri nil potest incognitum,
Falso necesse est placet ignorantiam,
Umbrásque inanes captet inter nubila
Imaginosæ adulter Ixion Deæ.
Magis quiescet animus, errabit minus,
Contentus eruditione parabili,
Nec quæret illam, siqua quærentem fugit.
Nescire quædam magna pars Sapientiæ est.

In mortem Scaligeri Epicedia.

IRet ad occasum cum lux clarissima mundi
Scaliger, & sanctum conderet umbra caput,
Dicitur exemplo tam sævi funeris æther
Territus, atque ipsi contremuisse poli.
Te quoque perculsum genitor radiate diei
Credibile est, viso sidera posse mori.
Non minus ille suo lustrabat lumine terram,
Non minus in gemino cardine notus erat.
Sed non tu retro radios in sæcula verris,
Nec potes hesternum tu revocare diem:
Eriperet nocti qui sæcla, diésque diei
Redderet, ille fuit, qui tamen, ecce, fuit.

Aliud.

Aliud.

Hîc jacet & Gades ſuper exauditus & Indos
Scaliger, hic mundi publica lingua jacet.
Hunc velut amiſſum Memphis deploret Oſyrim:
Divitis huic ſylvæ munera mittat Arabs:
Æthiopes portate legit quæ gramina Phœnix:
Et Solymi plena bâlſama ferte manu.
Hunc Syrus Euphrates, hunc Medus plangat Hydaſpes,
Et qua tu primum Nile crearis aqua.
Græcia deſertas Aganippes effleat undas:
Cenſeat hunc atrum Martia Roma diem.
Europam pariter, Lybiámque, Aſiámque per omnem,
Per ſola terrarum, per freta luctus eat:
Et dicant populi: Jacet in tellure Batava
Hic qui pro populis omnibus unus erat.

Aliud.

VNica lux ſæcli, genitoris gloria, nemo
Quem puerum, nemo credidit eſſe ſenem:
Tam ſibi par ſemper, quam cunctis celſior unus,
Et qui ſe totum debuit ipſe ſibi,
Exſuperans famâ quos æquat ſanguine reges,
Sceptrigeris majus nomen adeptus avis,
Hîc jacet ille capax immenſi Scaliger ævi,
Nec ſibi mors unquam plus licuiſſe putet.
Quid querimur raptum? mens eſt qua vivitur: annos
Ille tot exegit mente, quot orbis habet.
Omnia dum retro mundi veſtigia quærit,
Quærentem retro deſtituere dies.
Emenſus populos & diſſona gentibus ora
Ambierat, quantum lumine Phœbus obit.
Teſtamur natura, tibi non defuit ille:
Tu gentes alias, ſæcula plura dares.

Ultra Scaligerum nihil est: nec Scaliger ultra.
Ille cui finem repperit, ille sui.

Aliud.

IN EFFIGIEM SCALIGERI.

In Bibliotheca servatam.

INter mille libros (nec sedes dignior ulla)
Quæ talis immensus Scaliger ora vides.
Mille libros hospes nimium ne respice, major
Hic tibi quem monstro, bibliotheca fuit.

H. G.

FINIS.

John Tyls on
his Book
1734
April the 22